



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books


<https://books.google.com>



KAIS.KÖN.HOF  BIBLIOTHEK

17.194-B

ALT-



V. A. 19. E. 45.



17194-B.




17194-B.















JUS NATURÆ  
ET

GENTIUM,  
EX IPSIS FONTIBUS

*Ad ductum*

GROTII, PUFENDORFFII ET COCCEJI

Derivatum,


In usum Studiosæ Juventutis  
in Compendium redactum,

AUTORE

HENR. ERN. KESTNERO,

Doct. & Profess. Jur. Ordin.

*Anno*



1705.



RINTHELI,

Sumptibus & Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typ.

*SERENISSIMO*  
PRINCIPI ac DOMINO,  
DOMINO  
FRIDERICO,  
Hasfiæ LandGravio, Principi Hers-  
feldiæ, Comiti Cattimeliboci,  
Deciæ, Zigenhainæ, Niddæ &  
Schaumburgi &c.  
PRINCIPI HÆREDITARIO,  
*Domino meo longe Clementissimo.*

*Serenissime Princeps Hereditarie,  
Domine Clementissime.*



**Exennium est, & qui ex-**  
currunt menses aliquot, ex quo  
Differtationes hæc Juris Naturalis  
in fasciculum formamque opusculi  
cujusdam redactas Gloriosissimo  
Parenti Tuo, velut primum laboris  
officiiue Academici initiaméntum,  
devotissime consecravi. Prodeunt  
hæ jam & auctiores & emendatioreſ, augustissimumque  
Tuum sibi nomen inscribere audent. Non unam instituti  
præsentis causam habeo. Ut enim taceam Serenissime  
Princeps, Quantus quamque incomparabilis literarum & in-  
primis hujus, quod Tibi exhibeo, studii Patronus & pro-  
tector sis, ne etiam dicam, quod hæc ipsa disciplina Summas  
Summorum Principum controversias & Illustriora pacis  
bellique jura respiciat; in qua Jurisprudéntia vere Illustri  
& regia cum stupore sæculi & admiratione omnium hæctenus  
cum gloria versatus fuisti, & adhuc versaris; propiores  
sane & domesticas habeo causas, non enim sine devotissimo  
mentis sensu recordor, quod binis vicibus Serenissima Tua  
) 2 præ-

præsentia Dissertationes meas condecoraveris, & in ipso actu, eoque finito, infinita Clementiæ signa mihi musisque nostris exhibueris, accedit Clementissimum & vere benignissimum Judicium Tuum, quod de tenuitate mea meisque studiis tam clementissime sæpiusque tulisti, ut adeo non indignum quid me fecisse, quin potius summam devotionis legem esse existimem, si in reiterata hujus opusculi dedicatione devotissimum meum animum, velut tantorum beneficiorum humillimum interpretem exprimam. Suscipe igitur, Magne Princeps, inter medios belli strepitus hæc de Jure Belli commentationes, eodemque, quò cætera Tibi quondam dedicata, Serenissimo vultu respice. Uti vero augustissimum Tuum nomen FRIDERICUS musis, ob tot a Gloriosissimis FRIDERICIS stabilitas Universitates, Sacrum atque Sanctum, nil nisi Pacem & Justitiam spirat, ita Tua Tuorumque Sociorum fortitudine, prudentia & autoritate, aurea pacis tempora Europam, per tot arma conquassatam, impetraturam, speramus omnes, vovemus singuli. Ego vero, Serenissime Princeps, Gloriosissimis Tuis factis & rebus, queis immortalitatem nominis Tui jamdudum obtinuisti, quævis fausta, omniaque omnis felicitatis incrementa apprecor.

*Serenissime Princeps, Domine  
Clementissime,*

**SERENITATIS TUÆ**

Devotissimus Servus

**H. E. KESTNER.**



Dedicatio Primæ editionis,  
*Serenissimo & Potentissimo Hassiæ*  
*Principi CAROLO I. facta.*



Erum primitiæ Diis erant sacrae, Tibi Serenissime Princeps, tanquam Tutelari Hassiæ Jovi Deoque Terrestri, primitiæ hæ Academicæ, in Tua Academia natae & ventilatae, sacrae esse debebant. Ipse Deus summus ille Princeps a populo peculiariter sibi dilecto, prima sæcunditatis tam rerum quam operarum specimina sibi vindicabat, gratiofo primitiarum nomine & tenuis hicce fætus ad Serenitatis Tuæ delubrum deponitur. Ipsæ illæ, quæ cœlesti numini offerri debebant, primitiæ; agniculi, & vilia nulliusque propemodum precii erant, neque tamen sine grandi piaculo omitti poterant. Quo enim magis ea est divini numinis immensitas, eaque Summorum Principum fortuna, ut nihil iis dignum offerri possit, eo minus dedignantur, quicquid casta & sincera cum pietate offertur. Satius adeo visum omnino fuit, qualemcunque, quæ sola potest, pietatis testationem fieri, quam omnem omitti: accedit argumenti fiducia, libellus enim hic pro justitia scriptus, quæ virtus adeo Tua est, ut non minus CAROLI, quam justî appellatione noscaris. Jactet antiquitas suos Cæsares, suos Augustos, suos Titios, nos, quicquid in principibus Augustum, quicquid in iisdem admirandum, in glorioso exemplo Tuo, velut Augustissimo omnium virtutum compendio conspiciamus, quippe quod non ista tantum, sed, quicquid pulchrum & honestum cogitari potest, ambitu suo  
com-

completur. Magnus es, qui Caroli Magni exemplum, a quo originem trahis, felicissime implet, pius es, cum nutris Academiae, foves ecclesias, scholas sustentas, exules recipis. Justus es, cum sepultas prope leges revocas, & quantum potes, ruenti in pejus seculo valide Te opponis, justus inquam es, sed simul clemens, cum subditis, quos Tuæ bonitatis ignorantia ab officii limine transversos egerat præter peccandi licentiam nihil adimis. Fortis es, qui ingruentes hostium vires successu admirabili profligas, Testis est Rhenofelsa, Moguntia, Confluentia, ubi confluentes hostium vires devicisti. Ut adeo Tibi proprium sit istud, veni, vidi, vici. Sed Tu, O CAROLE, qui es oraculum Regum, Cynosura Principum, idæa Magnatum, vive, una Tibi gloria, una victoria sit gradus ad alteram, sit Tuum Sceptrum regimenque felix, faustum & in ipso motu immotum, augeat Deus gloriam, benedicat triumphis; ut porro sis humani generis populique Tui deliciae. Servet Deus cum incomparabili sapientissimaque conjuge Tua, Serenissimos Principes Tuos, qui vivam Tuam gerunt imaginem ad gloriam nati & educati, ut post fera tempora sint, qui Sceptra Hassiaca moderentur, & hanc, quæ sola a Te provenit, felicitatem ad subditos derivent.

*Serenissime atq; Potentissime*  
*Princeps,*  
**SERENITATIS TUÆ**

Devotissimus Servus


H. E. KESTNER.



Uas in usum Studiosæ Juventutis ante sexennium conscripti Disputationes Juris Naturalis, simplici norma & forma constructas, easdem & emendationes, & quantum id per concatenatos, quibus hoc tempore districtus fuit, labores licuit, quodammodo auctiores Tibi sisto. Quam laudabilis quamque necessaria Juris Naturalis cultura sit, cum hoc omnium jurium basis, fundamentum, & velut subsidiaria norma sit, tum ex ipso opere cap. i. §. pen. tum ex aliis passim a me inculcatis principis constabit; ita tamen pertractatio hujus juris suscipienda erat, ut cum hoc sedulo Jus Romanum conjungatur; quamvis enim diffitendum non sit, multa in vastissimo Romanarum legum corpore contineri, quæ ad peculiare Romanæ civitatis rationes spectant, & a moribus legibusque Germanorum, quarum cultura, si Reipub. moderna Te applicare velis, necessaria, prorsus recedunt; ut alios insigniores alibi notatos defectus taceam, fatendum tamen etiam est, plurima ad disciplinam Juris Nat. spectantia, verissimosque adeo Juris Nat. rivulos in hisce libris comprehendi, quare maximopere expediret, si succinctum quis in libros Juris Rom. indicem consarciat, quo, quid ad Jus Nat., quid ad Civile pertineat, prorsus indigetetur, prout eleganter monet Illustrissimus L. B. a Fuchs in epistola, præmissa tabulis juridicis, a se editis, quando ait, optandum foret, ut illi, qui immanes commentationum moles ac inutiles controversias ad Jus Rom. congerunt, potius convenientiam ejus cum naturæ LL. ostenderent, exque iis illustrarent, mirum enim quanta ipsi inde accederet dignitas, quantus splendor. De autoribus & præstantioribus J. N. scriptoribus in præfatione prima & opusculis meis de Prudentia Studendi Jura conceptis quidem egi, plenius autem historiam J. N. nuper exhibuit Clarissimus Vir Dn. Ludovici Prof. Extraord. Hallensis, quare actum agere nolui. Cum vero nihil dicatur, nihilve scribatur, nisi quod quodammodo scriptum dictumque sit antea,

ita

ita ingenue fateor, uti in prima praefatione fassus sum, me in elaborando hoc opusculo multum debere Illustri Viro & Summo Jure Henrico Coccejo, Fan-  
 tari & Praeceptori quondam meo infinitis nominibus colendo, cujus paucula  
 Positiones, pro explicatione Juris Gentium adornata, huic opella occasionem de-  
 derunt, majus quondam Juriprudencia hac, nostris saltem temporibus velut  
 jure postliminii revocata, lumen consequetur; sibi hic operi in formam redigendo  
 manum admoveat Vir omni eloquio major, quid autem meum, quidve in hoc  
 opusculo praestitum, tum aequus lector, tum imprimis illi, qui Coccejana scripta  
 legerunt, aut Coccejum quondam audiverunt, promte dijudicabunt. Dolco  
 autem, quod pristina editio, & computra alia, qua hucusque publici juris feci,  
 scripta, ingenti sphaematum cumulo obruta sint, qua non tantum quandoque  
 sensum distortum relinquunt, verum etiam, utut primo statim intuitu obvia  
 sint, in sacrosanctas loquendi scribingue regulas impingunt, jejunis quo adeo  
 taxatoribus, qui alias ne hiscere quidem audebant, occasionem cavillanda  
 praebent, verum in verbis & pedantissimo faciles erimus, modo in re con-  
 veniamus; Tu lector optime vale optime, & hasce pagellas aequi  
 bonique consule.



## Index Capitum.

	Pag. I
Cap. I. De Principio Juris Naturalis.	25
Cap. II. De Eo, quod humano generi competit.	44
Cap. III. De Cultura Corporis.	56
Cap. IV. De Jure Connubiali.	77
Cap. V. De Contractibus.	97
Cap. VI. De Juramentis, interpretatione, & damnis.	108
Cap. VII. De Summa Potestate.	129
Cap. VIII. De Contractibus Summarum Potestatum.	139
Cap. IX. De Jure Belli.	149
Cap. X. De Processu Belli.	174
Cap. XI. De Pace.	191
Cap. XII. De Poenis.	201
Cap. XIII. De Interitu facultatum, & fonte successionum.	201





# JUDICIA

*Quædam de hoc opusculo lata.*

Literæ ab Illustrissimo L. B. Dn.  
PAULO à FUCHS, Potentissimi Borus-  
forum Regis Ministro Status Primario, Ecclesia-  
sticarum ut & Feudalium Rerum Præsede  
eminentissimo,

Ad AUTOREM, cum hoc opusculum transmitteret, scriptæ.

*VIR Nobilissime, Doctissime, ac Consultissime!*

**C**Um pro singulari meo erga Te studio, proque  
opinionem, quam semper de eximia tua virtute  
præstantique doctrinâ habui, gratâ mihi sint omnia,  
quæcunque a Te profiscuntur, longe sane gratis-  
simus fuit egregius ille, quem nuper ad me misisti ingenii  
tui partus, Prudentiam Juris Nat. exhibens. Maximopere  
me Tibi eo nomine devinctum esse sentio, meum autem a-  
nimam propensumque in Te studium jam pridem ita perspe-  
ctum habes, ut facile Tibi constet, quantopere res tuæ mihi  
sint cordi, qua etiam mente complecti illas ac fovere soleam,  
vel inde potes conjicere, quod incredibili cum voluptate  
compertus sum, operam non inanem, quam studiis politiori-  
bus cum laude hæctenus navasti, nova indes incrementa ca-  
pere, adeo ut mihi accidere vix quicquam possit optatius.  
Neque ullum dubium superest, Te Zelo gloriæque incensum  
maximopere anniti, ut partes, quæ Tibi commissæ sunt,  
impleas ac strenue tuearis, & in exercendo munere cum  
nominis tui, tum etiam spei de Te conceptæ & expectationis,  
orbis eruditi pro communi bono rationem habuisse videaris.  
Ego sane, opto precorque, ut quem nuper ingressi annum

) ( (


sumus

sumus, & plurimos sequentes, quam felicissimos agas, partam  
que jam dudam virtutis & doctrinæ gloriam aliis subinde la-  
boribus æternitate dignis, perpetuisque laudum incrementis  
augeas, Reipubl. literariæ ornamento superstes olim futurus,  
Cæterum id Te scire volui, si quid fuerit, in quo Tibi & u-  
sui & adjumento esse possit amor erga Te meus, hoc Tibi à  
me non libenter modo, sed etiam liberaliter concessum  
iri. Vale

T. *Addictissimus*

P. a FUCHS.

*Dabam Berolini d. 7. mens.  
Jan. M. DC. XCIX.*



*Judicium de hoc opusculo ex-  
cerptum ex Lipsiensibus actis eruditorum Anni  
1698. sub mens. Octob. p. 485.*

**HENR. ERN. KESTNERI, D. & in  
Acad. Rinthel. Prof. Jur. Ord. PRUDENTIA  
JURIS NATURALIS, RINTHELII Typis  
H. AUGUST. ENAX, 1698. 4. Alph. I.**

**N**aturalis Juris scientiam meritò præ-  
stabilem dixit Cicero, nec temere dignior  
ulla reperiri potest, in qua vires periclitentur  
decora ingenia. Unde mirum non est, postquam  
depulso squalore & pulvere, quo deformata penitus erat,  
eam sibi ipsi restituit Hugo Grotius, viros doctrina præstan-  
tes in ea ornanda poliendaque quoddam vetut industria  
examen imisse: quemadmodum autem nulla unquam ars,  
nulla scientia ad istud perfectionis culmen perducta est, ut  
nihil


nihil addi omnino possit! Ita post tot virorum doctorum labores, sibi quoque adhuc spicilegium superesse recte existimavit, Vir Consultissimus HENRICUS ERNESTUS KESTNERUS. Testatur hoc, quæ nos nunc occupat, PRUDENTIA JURIS NATURALIS, publicæ lucæ ab ipso exposita. In ea postquam de principio Juris Naturalis disseruit luculentur, de eo quod humano generi competis, exponit, quæ de dominio ejusque origine & indole passim disputantur, excutiens. Hinc de cultura corporis præcipit, & quid jus fasque sit pro tuenda vita, membrorum integritate, pudicitiaque, & id genus aliis justo ordine exequitur. Progreditur ad jus connubiale & contractuum, de polygamia, divortii, varisque ad matrimonium spectantibus quæstionibus verba faciens, variasque contractuum formas definiens. De jurejurando etiam, quo confirmari pacta solent, interpretatione & damnis, hac occasione sibi dispiciendum censuit. De bello autem atque pace priusquam præcipiat, de ipsa summa potestate, quam penes stat bella gerere, imperantiumque summorum contractibus, quæ hujus loci esse illi visa sunt, agit: & tum demum de bello ita tractat, ut primo de Jure Belli, tum de processu commentetur, nec, quæ ad pacem modosque bellum finiendi, ut & inducias pertinent, prætermittat: finem opusculo imponit dissertatione de Pœnis, interituque facultatum & successibus Regum. Ita autem in his omnibus versatur, ut Grotii aliorumque fama atque auctoritate florentium virorum vestigiis interdum insistat, sæpius tamen ab iis recedere religioni sibi non ducat. Prohibitionem creatoris fundamentum Juris Naturalis esse docet, cujus voluntas aut verbis declaretur aut factis, si illud fiat, vocari Jus Divinum revelatum, sin hoc, Naturale. Ad facta autem pertinere motus & instinctus à natura hominibus infitos & implantatos, Itemque actiones ipsius Creatoris, rerum videlicet creationem & conservationem, actionum quoque finem, tum necessarium tum probabilem, mediæ necessitatem, & denique naturam ipsius sanctissimæ crea-

creatoris, qui perfectissimus sit, & nihil frustra fecisse intelligatur, huc spectare: Rejicit itaque, sed modeste, aliorum de Principio Juris Naturalis placita, cum primis societatem non posse pro eo haberi, rationibus quibusdam evincere annitur. Sed cætera, cum, ut specimen lectori præbeatur, hæc sufficiant, ex ipso fonte facile hauriri possunt.



*Judicium de hoc opusculo excerptum ex Relationibus Francofurtensibus.*

**H**ENRICI ERNESTI KESTNERI, PRUDENTIA JURIS NATURALIS prout obvia fuit, minime displicet, sive ordinem rerum spectes, sive res ipsas. Et nihil puto commodius dici potuisse v. gr. quam prohibitionem & naturam sanctissimi Creatoris, qui perfectissimus sit, & nihil frustra fecisse intelligatur, fundamentum Juris Naturæ. Itaque hunc etiam librum elogio, quo decet, ornandum esse ducimus.





CAP. I.

DE

*Principio Juris Naturalis.*

§. I.



**I**nter stupenda Dei opera nullum augustius, nullum existit elegantius, quam admirabilis illa hominis structura, cui divinus rerum conditor divinam auræ particulam impressit, eumque ad similitudinem pulchritudinis cœlestis figuravit. *l. 17. C. de pen. Laët. l. 3. inst. c. 8. Grotio in prol. homo dicitur eximium animans: Veteribus machinamentum naturæ confidentissimæ audit, quoniam res arduas aggreditur: & hinc modo nexus Dei & mundi, modo rerum materialium & immaterialium horizon. appellatur, ut est apud Philon. lib. de opific. mundi citat. apud Zieglerum in notis ad Grot. proleg. Plato apud Marsilium dialog. 1. de Legibus. Hominem inter animalia miraculum esse divinum dicit.*

*Præstantia  
Hominis.*

§. II. Homo duabus constat partibus, anima & corpore, anima est res cogitans, quæ in continua actione est, nec corpore ad operationes suas eliciendas indiget. Cogitatio est intima rei conscientia,

A per

*Ex quibus  
partibus  
constet ho-  
mo.*

per quam certi sumus earum rerum, quas agimus aut patimur. Corpus hominis est instar machinæ & horologii, quod ex partibus solidis & fluidis vario ordine ac situ dispositis & constructis constat. Corporis natura est extensum esse: extensum est, quod in longum, latum & profundum semet exerit latè. *Cartes. de passion. anim. part. I art. 6. & 7. Legrand de mente humana cap. I. Dn. Hoffmanni fundam. med. cap. 3. §. I. & cap. 4. §. I.*

*Anima  
partes,*

§. III. Anima duas habet partes intellectum & voluntatem, Intellectus est simplicissima mentis perceptio & solertissimus veritatis indagator, quicquid enim percipimus, sola mente percipimus. Voluntas autem est illa potentia & vis, quam natura intellectualis habet, ex se ipsa absque ulla coactione omnes actiones & cogitationes producendi, in quibus electio aliqua & determinatio locum habet. Intellectus ergo simpliciter cognoscit, voluntas eligit, sive bonum fuerit, sive malum *Legrand. d. l.*

*Conscientia  
quæ duplex.*

§. IV. Intellectus rectè informatus producit conscientiam, quæ, vel recta, vel probabilis, si autem quis pro vero falsum apprehendit, tunc in errore versari dicitur, error is vel vincibilis vel invincibilis est. Quando verò simpliciter cognitio abest, tunc adest ignorantia, hæc, vel efficax vel concomitans, voluntaria vel involuntaria est, singula latè exponit *Illustr. Dn. Pufend. in egregio tract de I. N. & G. L. I. c. 3. & 4. per. tot. & de offic. Hom. & Civ lib. I. c. I. §. 4. 5. 6. 7. 8. & Dn. Thomasius in Jurisprud. divina lib. I. passim.* Per voluntatem homo non tantum sponte,

i e.



i. e. ut per intrinsecam aliquam necessitatem ad agendum non determinetur, sed & liberè agit, ità, ut uno objecto proposito, possit agere vel non agere, idemque eligere vel respuere, aut, pluribus objectis propositis, unum eligere, cætera respuere *Pufend. d. l. §. 9.*

§. V. Ex plenissima hac intellectus & voluntatis facultate oppido liquet, eaque naturæ regula videtur, ut, quicquid homo velit, licitè agat. Omnis enim de jure quæstio eò refertur, quid licitum sit. Id enim jus dicimus. Homines autem potentia agendi natura instructi, licitè agunt, quicquid possunt, donec aliquis, qui prohibere rectè potest, prohibeat. *Illustris Dn. Coccejus pos. jur. Gent. i. Delibata nostra juris Select. §. 4.* Frustra enim prohibet, qui prohibendi facultatem non habet, vitiumque eo casu non in agente, sed injuste prohibente est. Equidem in quæstione juris duo conjunguntur, sc. quod facere possumus, & quod non possumus, alterutrum necessario ponendum, quia dum quæro an possum facere, quæro etiam an prohibitum sit.

§. VI. Illa prohibitio, quæ liberrimum agendi arbitrium restringit, soli Deo, & cui is concessum voluit, competit, & firmum solidumque est juris naturæ principium, ex quo, & in quod propositiones omnes veluti ad centrum aliquod tendunt, facultates enim sunt Creatoris opus, in quas præter Creatorem nemo jus habet, nemo homini jus à Creatore concessum auferre potest, homini in hominem non competit jus aliquod, nedum imperium. Optime

*Homo liberè  
re omnia  
agit.*

*Prohibitio  
Creatoris  
fundamen-  
tum juris  
N.*



inquit Imperator, naturalia præcepta divina quadam providentia constituta *S.p. I. de J. N. & G.* eleganter quoque *Feldenus in nobilissimo opere de J. N.* concludit, à sanctissimi Numinis Imperio & indicatione illud petendum.

### ADDITIO.

Jus Naturæ igitur nihil aliud est, quam voluntas creatoris circa actus morales, omnia illa, quæ ab ipso prohibita non sunt, agendi; sub prohibitione autem ista non tantum illa, quæ quis non agere, verum etiam ista, quæ quis necessario agere & explere debet, continentur, natura enim agendi facultatem homini in infinitum impertit, quæ eo usque, uti dictum, licita permissaque erit, donec aliquis superior sit, qui hanc facultatem restringere & possit & velit, nam qui injuste me agere contendit, utique probare debet, id, quod ago, prohibitum esse, mihi que impedimentum ostendere, quo impediatur facultate mihi a natura concessa uti; Quod vero hæc prohibendi actionesque nostras restringendi facultas soliterum creatori competat, hoc vel inde constat, quoniam 1. ex voluntate & jussu creatoris omnes, quæ eam intelligere possunt creaturæ obligantur, quia creatoris absolutum est in creaturam Imperium, quippe quam potuit creare, vel non creare, & quacunque placuit, lege creare. 2. extra Deum, nulla vis est, quæ omnes homines ad parendum obligare, & libertatem agendi, quod lubet, restringere & cohibere possit, cum enim res creatæ nihil a se, sed omnia sua, omnemque agendi facultatem a solo creatore suo habeant, sequitur, quod nulla res creata facultatem actionibus hominum legem dicendi habeat, nisi a creatore sibi concessam. Equidem res creata nihil juris habet in opus creatoris sui. 3. Quia is demum facultates nostras restringere ac prohibere potest, qui easdem nobis concessit, qualis tantum est sanctissimus creator. 4. Quia nulla lex sine superiori vel dici vel fingi potest, sicuti enim



omnium omnia jura a constituyente vim ac nomē accipiunt, leges a populo, Senatusconsulta a Senatu, constitutiones a Principe, plebiscita a plebe, ita pariter Jus Naturæ ab ipso Deo i. e. autore naturæ vim fundamentumq; omne capit, sin 5. secus statuamus, aut aliud Principiū quæramus, sequeretur, quod aliquid aut Deo coævum, aut eodem superius daretur, quod utrumq; fallit, cum omnis justus in justiq; sensus a Deo, tanquam perfectissimo ente, quod talia in nobis existere voluit principia promanet: Quin & in hoc Principium omnes fere gentes consentiunt, uti hæc ulterius deducit consensumque hunc eleganter demonstrat Illustris *Dn. Coccejus in disp. de Principio Juris Natural. vero & adequato.*

§. VII. Voluntas omnis vel verbis declaratur, vel factis *l. 32. ff. d. LL. §. f. I. de Hered. qual. & diff. l. 5. ff. rem ratam hab. l. f. pr. & §. f. ff. de divort. l. 2. §. I. ff. de pact. l. 14. §. 7. ff. de relig. l. 14. ff. l. 11. l. 13. C. de N. G.* Voluntas Creatoris verbo declarata, *jus divinum revelatum*, factio, *naturale* audit. *conf. D. Bordini disput. de jur. mund. §. I.* Igitur jus naturæ & jus divinum essentia conveniunt. utrumque enim pro fundamento habet sanctissimam sanctissimi creatoris voluntatem; Hinc sacræ Scripturæ plurima capita valebunt tanquam Jus Naturæ, i. e. tanquam voluntas Dei revelata, etsi aliquando contra Gentiles allegari non possit, non quia non est jus naturæ, sed quia illis revelatum, atque ita publicatum non est, intelligendum autem hoc de jure divino morali, sunt enim in codice sacro tum veteris tum novi testamenti quamplurima, uti infra constabit, capita, quæ tum particulare & positivum aliquod jus involvunt, tum etiam præcepta virtutis, quæ nullam in foro humano

*Quomodo  
declaretur  
voluntas.*

mano producant obligationem, continent; Igitur distinguendum putamus inter Jus Naturæ revelatum, & non revelatum, nihil enim interest, quocumque modo Deus Sacrosancta sua decreta promulget.

*Unde facta  
N. decla-  
rentur.*

§. VIII. Facta autem Creatoris constant ex motibus & instinctibus intrinsicis in homine à natura conditis, veluti maris & fœminæ conjunctione, propagatione, prolis educatione & defensione sui, ad quos quatuor fontes non homines tantum, sed & ipsa bruta magno impetu feruntur, quos instinctus sane, si vitiosi essent, Creator singulis speciebus non indidisset. Dum enim Deus indidit motum, qui nos vel deterreat, vel ad aliquid agendum moveat, recte concluditur, Deum aut nolle aut velle nos aliquid agere, ne frustra creatus videatur ille motus, ad quem sane motum provocat Paulus 2. Rom. XV. dum gentes ex conscientia motu sese accusare, & sic legem naturalem agnoscere tradit *Conf. §. 2. l. de J. N. & G. Grot. de J. B. & P. c. 2. §. 1. Puf. passim.* (2.) Apparet istud factum ex actionibus Creatoris, ipsa scilicet rerum, quæ apparent, creatione & conservatione, quin ipsa earum natura & circumstantiis. Inde bene *Alphonf. de Castro de leg. pœnalib. lib. 2. c. 14.* Jus naturale, *inquit*, est illud, quod ex ipsius naturæ institutione venit, nam quæ quis facit, illa vult, & alias frustra ageret creator, si effectum non haberet, hinc apostolus 1. Rom. XX. creationem allegat, dum existentiam voluntatis divinæ sive juris naturalis judæis inculcaret; sic dum Deus cum appetitu societatis nos creavit, apparet, Deum nos sociabiles fecisse

*conf.*

*conf. Sap. 8. v. 1. Ps. 18. v. 14. Ps. 44. v. 8..* (3.) Con-  
 stant hæc ex actionum fine necessario & probabili,  
 qui nihil est aliud, quam intentio agentis, hinc finis in  
 moralibus optima probatio dicitur, si vero finis  
 tantum sit probabilis, tunc probabilem tantum facit  
 voluntatem, non ergo per se Jus Naturæ. Ast in  
 vita civili talis admittenda probatio, qualis inter  
 homines commode haberi potest, huc pertinet cer-  
 titudo prolis ex justis nuptiis, probatio per testes.  
 (4.) Ex mediis necessitate, quia constituto hoc jure,  
 etiam medium illud constitutum intelligitur, quod  
 unicum & necessarium est, ad jus illud obtinendum  
*l. 2. ff. de jurisdic. l. 42. ff. de Procurat. Menoch. conf.*  
*44. n. 56. vol. 5.* (5.) Ex natura ipsius Sanctissimi  
 Creatoris, qui perfectissimus est, & nihil frustra fe-  
 cisse intelligitur, quia quicquid agit, perfecte agit,  
 huc pertinet cultus & reverentia erga DEum; bene  
*Aristoteles 1. pol. 5.* natura nihil imperfecte nihil fru-  
 stra conditum videtur. *Dn. Coccejus p. J. G. 4. per*  
*tot. Delib. nostra Jur. Select. th. 8. 9. 10.*

§. IX. Cum igitur voluntas Creatoris, ea, quæ  
 prohibita non sunt, agendi, verum J. N. fundamen-  
 tum sit, inde fœdus est Moralistarum error, quos  
 improvide *Grotius in Proleg.* sequitur, dari Jus Nat.  
 quamvis concederemus non esse Deum, aut ab eo  
 non curari negotia humana, quæ sententia absurda  
 certatim ab aliis refutata *conf. Paul. Næocelium. de*  
*offic. prol. p. 1. Pufend. de J. N. & G. II. 3. 19. & de offic.*  
*lib. 1. 3. 10. Ziegl. ad Grot. p. 7.* Absurdior illorum  
 sententia, qui stultitiæ nomine Jus N. cum Carneade  
 in-

*Nullus sine*  
*Deo J. N.*  
*conceptus*

infamant, quos egregio conatu confutarunt. *Pufend. de J.N. & G. II. 3. 10. & II. Eichel. de J. Nat. par. & lib. p. I. §. I. & seqq.*

*Varia Do-  
ctorum de  
Principio  
J. N. sen-  
tentia.*

§. X. Non igitur præcepta Noachica, non sola, uti *Carneades*, & qui eum sequitur, *Machiavellus*, utilitas, non suum propriæ salutis studium, uti *Hobbesus* volebat, fundamentum aliquod J. N. constituunt; modestius tamen de illis, qui vel in cultu divino, vel amore Dei & hominis, vel ex conformatione creaturæ rationalis cum Creatore, aut comparatione ad decalogum, principium quærun, quos fusè citatos lege apud *Illustr. Dn. Kulpis in Colleg. Grot. c. I. §. 8.* dicendum erat.

*Societas  
non est  
principium  
J. N.*

§. XI. Neque etiam, quod communiter à *Grotio* mutuatur principium de societatis custodia, pro firmo ac stabili habendum, si enim utilitas aliqua, ex qua societas constat, fons Juris N. esset; sequeretur, Jus N. in potestate hominum esse, cum quilibet utilitati suæ renunciare possit *l.p.c. de Pact.* & sine naturali jure, quod fundamentum esset in communi utilitate, vivere. Deinde hoc principium valde indefinitum est, nam societas multis & variis, imò contrariis modis promovetur, quin si Jus N. ex hoc principio flueret, sequeretur illud jus in infinitum posse mutari, nam quod hodie utile est ad societatem colendam, alio tempore noxium esse potest; tolleretur insuper differentia ista, quæ inter Jus N., Gentium, & Civile est, quorum duo postrema utilitatem æque intendunt, quin nulla certa hujus juris obligatio foret, quod enim ob utilitatem statuitur jus mu-



mutari potest *l. 12. 13. ff. d. LL.* inde sequeretur hoc jus pro lubitu mutari posse: accedit & illud, quod principium hoc potentissimos & à nobis remotos Principes haud obligaret, cum enim hi suis terris contenti nullos alios populos curent, nullo alio jure obstricti essent.

### ADDITIO.

Plures supersunt rationes, evidenter demonstrantes, societatis custodiam pro firmo solidoque Juris Naturæ Principio non esse habendam. Ipse *Grotius* principii hujus autor & fautor. vix ullam quæstionem, cui momentum inest, ex hoc principio solvit, sed omnia ex aliis aliunde precario acceptis rationibus, sc. ex Jure Romano, sacris, ethicis, Autorum sententiis decidere satagit; Imo ex hac societatis humanæ custodia æque inferri possunt, quæ turpia sunt, & a Jure Naturali abhorrent, uti promiscui concubitus, illi enim ad augendam propagandamque societatem plurimum eonderent, nec, quod nefandum est, sodomia injusta futura erat, quoniam societatem non turbat. Deinceps nulla ex hoc principio obligatio firma nascitur, quia omnis obligatio supponit jussu superioris, at hoc principium neminem ponit superiorem, non Deum, quia hunc excludit *Grotius*, non alium, quia nihil extra Deum humano genere superius est, poneretur insuper Deo aliquid coævum, quod totum genus humanum obligaret, eique necessitatis legem imponeret; agnoscit *Grotius* quædam prima naturæ *l. 1. c. 2. §. 1. n. 1.* quæ ex societate, uti ipse inibi fatetur, non fluunt, sed ipsam societatem ex illis primis naturæ sequi asserit, unde ergo sunt illa prima naturæ? Imo hoc *Grotiano* principio admissio de omnibus criminibus dispensari posset, cum humana societas de jure suo disponere possit; ast ipsa inter homines societate sublata jus tamen aliquod, verumque maneret, quod uni hominum Deus concessit, id a nemine ei auferri potest, maneret

B

ret



ret quoque jus illud naturæ, quod est inter angelos & homines, etsi enim inter eos natura societas constituta non sit, non tamen vel hominibus licitum est in angelos injurias, convitia evomere, nec angelis jura hominum ipsis auferre. Imo plura alia inde incommoda, justis & æqui principia eversura, emanarent, sic Adamus, cum solus esset, occidere se ipsum potuisset, non enim peccasset contra societatem, utpote quæ tunc nondum fuit; ita homines naturaliter tenerentur & cogi possent ad matrimonia, quia necessaria sunt ad custodiendam & augendam societatem; cultus quoque parentum nullo modo ex hoc principio sequitur, non enim eo cultu neglecto societatem everti necesse est, raptus tam Sabinarum quam Siloitarum liciti fuissent, utpote ad conservationem, societatis adhibiti; perstringunt autem potissimum hæ rationes principium Grotianum a societatis custodia desumptum.

*Societas a  
natura est.*

§. XII. Id vix dubium est, esse inter mortales societatem, quam non tantum motus illi naturales; & cum sermonis extra societatem nullus usus, sed & unicum illud se conservandi medium satis evincit conf. *Grot. in prol. §. 7. 8. Puf. L. 2. c. 2. per tot. Hobbes de civ. c. 9. Virriar. Instit. Jur. Nat. proleg. qu. 3. & supra th. 8.* sed talem societatis curam principium esse juris alicujus immutabilis, haud verisimile est, quamvis tamen de illis, qui ex societatis custodia præcepta erga Deum, se ipsum, & proximum deducunt, modestius iterum sentiendum erat. Atqui ita sententiam Pufendorffianam, eaque, quæ Vir Celeberrimus *Dn. Budeus in disput. de scepticismo moralis §. 24. & 25.* contra hanc ipsam disquisitionem nostram opposuit, quodammodo conciliari posse, autumo, puto tamen, incongruè dici, voluntatem crea-

creatoris esse principium juris naturæ effendi, so-  
 cietatis custodiam autem principium cognoscendi,  
 siquidem pugnat omnino, dicere velle, omnia juris  
 naturalis præcepta ultimo à societate deduci posse, &  
 tamen necessum esse, Deum præsupponi, tanquam  
 causam efficientem, non enim, uti esse debebat, est  
 ultimum, quod aliud adhuc supponit; Quod si so-  
 cietas pro medio & modo cognoscendi atque pro-  
 bandi Jus Natur. sumatur, neque hoc justos principii  
 alicujus terminos implebit, cum aliud sit princi-  
 pium, aliud medium, aliud modus probandi & de-  
 ducendi rem aliquam.

§. XIII. Omnes actiones natura sua sunt in-  
 differentes, neque jus Naturæ intrinsece, & sua es-  
 sentia ante omnem legem ita jus est, ut nec à DEO a-  
 liud statui potuerit: Cum enim honestas sive neces-  
 sitas moralis & turpitudine sint affectiones actionum  
 humanarum, ortæ à convenientia vel disconveni-  
 entia à norma, quæ hic est lex æterna, ea autem sit  
 decretum voluntatis divinæ, non apparet, quomo-  
 do ante voluntatem divinam honestas aut turpitudine  
 possit intelligi, fusè satis hoc monstrat *Pufendorf*  
*in elem. & specim. controvers. in primis verò in majori*  
*tractatu de J. N. & G. I. c. 2. §. 6. & II. & ex eo Dn.*  
*Thom. d. tr. lib. 1. passim. conf. Seld. de J. N. & G. I. c. 8.*  
 Homo enim naturali agendi facultate instructus ag-  
 git quicquid potest, nec ante prohibitionem, quæ  
 a summo rerum creatore & legislatore fit, justum  
 quid vel injustum, nec legis sensus, quæ a superiori  
 fertur, intelligi potest, si enim intrinseca aliqua

*Omnis a-  
 ctio indiffe-  
 rens.*



bonitas in jure naturali hæreret, ad quam DEUS ipse obligaretur, sequeretur, quod Deo aliquod aut coævum, aut, ut dixi, superius sit, quod vero plane absonum absurdumque videtur, cum nihil sit quod DEI actiones prohibere aut restringere possit, neque etiam sic in brutis mutuæ lanienæ, promiscui concubitus permitti poterant.

*Quædam  
sunt quæ ex  
Dei essen-  
tia fluunt.*

§. XIV. Quædam tamen jura directo fluunt ex ipsa DEI essentia & perfectione, quæ nec magis mutari possunt, quam ipse Deus, nec id vult, quia voluntas esset imperfectior, ut ejus cultus, promissi & juris semel ab ipso statuti constantia, virtutum ratio ingenere, quæ in perfectione consistit, ejusque norma. Eo ipso igitur dum Deus quid jubet, justum quid, dum vetat, injustum est, cum ab ipso omnis justus injustique sensus proficiscatur; Deus vero non potest facere, nec jubere, nisi quod perfectissimum est, ea enim, quæ ex ipsa Dei essentia fluunt, non magis mutari possunt, quam ipse Deus, omnia sunt Deo præsentia, ac uno eodemque conceptu Deus fecit omnia, neque quid prius aut posterius, sed omnia in Deo simul sunt, sanctissima adeo Dei voluntas his omnibus normam ponit, neque quod imperfectum, quoniam hoc contra sanctissimam Dei naturam militaret & destructionem aut mutationem involve- ret, Deus velle potest; quod si vero quis dixerit intellectum Dei sublimius & melius quid, quam ejus voluntatem esse, ei prompta patet responsio, quod omnia in DEO æque summa sunt, neque sapientis principis lex obligat, quia sapiens est, aut intelligit, sed





sed quia vult, sanctitas & sapientia non sunt prædicata legis, in Deo autem hæc omnia velut in summo perfectionis fonte concurrunt.

§. XV. DEUS igitur cum legem poneret, non utique ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam, uti *Lactantius Grotio in cap. I.* citatus, docet. Quin uti Deus totam naturalem legem tollere, ita & vinculum ejus circa personam aut factum singulare rumpere potest, manente de cetero lege. Eo ipso igitur, quod Deus aliquid jubet, honestum est; quod vetat facere, inhonestum est. *conf. Apost. ad Rom. IX. v. 20. 21.* quo nomine quoque ex contrario Dei facto, conjunctio liberorum Adami, Noachi & furtum Israelitarum facile suam decisionem capiunt, quin hæc casus ex Dei voluntate nunquam sub jure naturæ concepti, sed excepti videntur. *conf. Grot. de J. B. & P. lib. I. c. 10. §. 10.*

*Deus quosdam casus ex J. N. excemio.*

§. XVI. Ex hoc fonte apparet, cum DEUM fundamentum & autorem juris Nat. quis agnoscit, quod eundem quoque amare debeat tanquam omnis boni autorem, in eum sperare, tanquam abs quo omnis nostra fecilitas dependet, ejus voluntate acquiescere eum timere, ei obsequi: quin eum admirandum, eique sine exceptione parendum, de eo non nisi considerate loquendum, non esse utendum Dei nomine frustra & temere, non esse jurandum ubi non est opus: non esse curiose & petulanter disputandum circa naturam & gubernationem Dei, quæ omnia pluribus & integro capite persequuntur. *Pufend. de O. H. & C. lib. I. c. 3. §. II. Dn. Thom. Juræp. div.*

*Deus à Creatura à colendus.*



*div. lib. 2. capite speciali de offic. erga Deum. Quo spectat quoque tota Theologia naturalis conf. Grot. de veri Religion. c. 1. Morneus de veri. Christian. Relig. c. 1. & 2. conf. Styttit. & irrationabil. Atheismi edit. & in lat. ling. vers. à Dn. Jablonski.*

*Divisio  
J. N.*

§. XVII. Optima juris divisio est, qua jus in permissivum & decretorium dividitur, illud in naturali agendi facultate, quæ quatenus non apparet ritè prohibita vel restricta, est facultas legitima, & idem quod vulgò dicitur jus concessivum, hoc in prohibendo consistit, quæ prohibitio ejus est, qui jure prohibere, & terminos & hujus facultatis ponere potest. *l. 7. ff. de LL. §. 1. I. de jure personarum §. 1. I. de usufr. §. 1. I. de act. c. 4. d. 3.* Illud in libertate, hoc in necessitate agendi consistit, illud mutari potest, hoc non. *Magn. D. Coccej. pos. jur. gent. 2. Delibata nostr. jur. select. th. 6.* Quod si vero ægre ferunt aliqui, jus permissivum dici jus, cum tamen id, quod creator homini concessit, re vera jus sit, nuncupabimus illud facultatem naturalem, quæ si turbetur, omnino vox juris incipit, & quis concessa omnibus hominibus jura convellere, adeoque justè coerceri dicitur; sic. v. gr. contractus celebrare, nuptias iniire, de re sua disponere juris naturalis permissivi est, quod jus vel exercere quis vel omittere potest.

*Quid Ceremoniale & Forense jus*

§. XVIII. A Divino & naturali jure differunt Ceremoniale & Forense jus, hoc de rebus judæorum politicis latum; Illud verò jus scriptum de ceremoniis circa cultum divinum, vel propter typicam significationem, vel ordinem ecclesiasticum à populo judaico



judaico observandis, hæc verò jura, cum positiva sint, ita eorum nulla est obligatio universalis, quin destructa republica judaica, sublataque ipsorum lege, qua velut intersepimento à nobis distinebantur, jus illud, quod huic latum, expirat. *Ephes. II. v. 14. Lauterb. & Dd. passim. ad tit. ff. de I&I Zepper. de LL. Mosaic. l. x. c. 1. Reinking. de Reg. secul. lib. 2. c. 2. n. 1.*

§. XIX. Quantum verò ad novum testamentum, Christus novum jus non condidit, sed majoris perfectionis & virtutis regulas, quæ in codice veteris testamenti jamtum latitabant exposuit, Christus enim non venit legem daturus, sed legem impleturus *Matth. c. V. v. 17.* quin apparet hoc ex ipso Christi exemplo, cum in causa adulteræ *Job. VIII. v. 11.* consultus judicium declinabat, Doctorem ecclesiæ, non legislatorem se profitendo, accedit, quod in tot scripturæ locis Christus dicatur docere, at Doctoris officium non in legislatione, sed adhortatione, objurgatione, persuasionibus consistit. *conf. Pufend. tract. de Habit. Relig. Christ. ad vit. civil. §. 13. 14. 15. 16. 17. Ziegler. ad lib. I. cap. I. Grot. disputat. nostr. de Jur Human. c. 1. §. 8.* Christus quicquid secularis regni erat a suo munere penitus separat, *Job. XVIII. v. 36.* Christo enim novum condere statum haud propositum fuit. Sane per miracula & ipse fidem sibi auctoritatemque adstruxit, sed quæ non terrorem aliis incuterent, aut ulli noxam inferrent. Quin cum discipuli ipsum monerent, ut igne cælitus emisso contemptores suos deleret, eos increpuit *Luc. IX. v. 54. 55.* Præterea novæ nihil legis,

An Christi  
sus Legis-  
lator fue-  
rit?

legis, quod quidem ad statum aliquem formandum faceret, ab ipso latum, sed vetus lex ad omnes homines spectans explicata, & ejus observantia indicata. Confluebant quidem ad eundem ingentes hominum cætus, sed eo duntaxat fine, ut doctrinæ ipsius auscultarent, & miracula spectarent, inde ad sua quisque dilapsi: Præterea Christus nullum, quod ad Rempubl. constituendam necessarium est, territorium habuit, & ita pauperem se professus est, ut ne quidem haberet quidpiam propriæ terræ, ubi caput reclinaret. Porro aliud est, an servator jus aliquod constituerit, an jus allegaverit, v. gr. quando dicit, date DEO quæ Dei sunt, non introduxit jus, sed allegavit & præcepit, quod secundum LL. jam constitutas vivere debeamus.

*Differentia  
juris &  
virtutis.*

§. XX. A jure longe differt virtutis notio: justitia aliis suum tribuit, adeoque in re alteri restituenda occupata est. *l. i. ff. de l. & l.* Virtus in re nostra consistit, & id, quod nostrum est, vel perficit, vel in alium confert. Ex illa non hac obligatio nascitur, alias enim differentia ista, quæ inter Ethicam & Jurisprudentiam intercedit, non tantum penitus tolleretur, sed etiam illius præcepta cum hac colliderentur. Ita enim ethica jubet liberalitatem, Jurisprudentia contra præcipit, quod nemo invito dare teneatur *l. ii. ff. de R. l.* quin, differentia hac probe non discussa, sequeretur alterum in alterius patrimonium jus habere, cum per prima juris fundamenta, divisim, permittente Creatore, facultatibus, quilibet de sua non alterius re disponat. *Magnif. Dn. Coccejus pos. l. G. ult. d. disp. nostra §. 4. 5. 6.* §. XXI.



§. XXI. Sed ne quis hic forum soli cum foro poli misceat, quæ Augustinus distinxit, relatus à Gratiano *in c. f. c. 17. qu. ult.* Quod enim DEUS in novo & antiquo fœdere indefessam virtutis culturam nobis injungat, id indubium est, an verò in foro soli, nisi magistratus eam, exigente publica vel necessitate vel utilitate, urgeat, obligatio inde ducatur, haud pervideo. *conf. Joh. Valer. de differ. utriusque fori. Illust. Dn. Stryk. disput. de foro conscient. passim.* Si quis verò virtutem neglexerit, in se injurius, præmi-umque illud, quod virtuti debetur, amittit, atque id est, quod vulgò demeritum dici consuevit. *dict. d. §. 23.*

*Forum solè  
à foro poli  
separan-  
dum hic.*

#### ADDITIO.

Pluribus hanc ipsam rem in disputatione nostra de Jure Humaniori Codicis §. 3. pertractavimus verbis, sequentibus, certum, & extra dubitationis aleam positum est, longe maximam inter jus & virtutem differentiam intercedere, justitia enim (1.) præcisam reparandi necessitatem parit, virtus non, desinit enim virtus esse, si coacte agamus. (2.) Jus non potest concipi sine superiori, bene virtus. (3.) Jus suum cuique, virtus vero id, quod nostrum est, vel aliis tribuit, vel nostra perficit. (4.) Justitiam si plenissime exercuimus, nihil mere-mur, bene si virtutem *infra*. (5.) Quin, hoc principio posito, omnia jura, imò & ipsum jus non sine ingenti incommodo cum aliis disciplinis ethica, politica confunderetur. Confirmat hanc sententiam 1. Jus divinum, elegans est 1. *Samuelis c. XXIV. v. 19 20.* locus, ubi David à Saule laudatur propter virtutem suam, cum dicit, quod eum quidem interimere potuerit de jure, hoc vero non fecerit propter virtutem. Ipse Christus legem & virtutem separat, ejusque differentiam, omni majori exemplo adstruit, cum enim dives aliquis juvenis Christum adiret, ab eo præcepta æternæ vitæ obtinendæ

C

audi



auditus, responsumque ferret, ut omnibus viribus legem decalogi impleret, hicque replicaret, vitam suam legibus conformem à prima juventute extitisse, adjuncta quaestione, quonam adhuc indigeret, jam Christus virtutis studium, commendabat. *Vende, ait, bona tua, quaecunque habes, eaque da pauperibus, cui etiam, quod summae perfectionis erat, adjungebat Colliges, inquit, tibi in caelis thesaurum Matth. XIX, 16. seq.* 2. Jus nostrum civile in separando eo, quod juris, quodque virtutis est, accurate satis occupatur. Ostendunt *hoc l. 1. §. 3. de peric. & commod. rei vendit. l. 31. de LL. l. 4. C. de LL. junctim §. fin. quibus mod. testam. infirm. 3.* Inculcat eandem differentiam Jus Canonicum in *cap. 39. c. 2. quast. 7.* ubi in notis illius capituli *versic. resp. & aliter* eleganter dicitur, aliud est, quod de rigore cogimur servare disciplinae, aliud quod admittitur ex perfectionis consideratione. Verum probe separandum erat forum poli, à foro soli. Quod enim Deus non tantum in verbo revelato, sed etiam in ipso Jure Naturae virtutem exigat, extra dubium est, ast hæc insignis intercedit differentia, quod ad jus exercendum præcise adstricti simus, virtus vero in nostro arbitrio consistat. Indeque, qui virtutem negligit, non injustus sed vitiosus dicetur, neque poenis adigendus erat ad injuriæ, quæ hætenus nulla est, reparationem. Quin nos Christianos, si salutem æternam consequi cupimus, ad virtutem exercendam obstrictos esse, quis negaret? Ast vero qualis hæc obligatio, quale jus exigendi in foro soli dabitur? Cum verò, si ex Jure Naturali rem hanc ulterius examinare volumus, strenua virtutum cultura in perfectione consistat, Deus autem ens perfectissimus sit, non possunt non hæ ipsi acceptæ esse. Et cum ex natura divinæ perfectionis necessario fluat, Deum omni virtuti destinasse præmium, nec eum vitia & virtutes pari gradu habere, adeoque sponte illud resultat, quod, qui virtutem neglexit, præmio & felicitate, quæ huic debetur, meritò careat, eaque exuatur. Cum autem illa præmiorum distributio in hac  
vita



vita sequi non solet, non difficile est, ex Jure Naturæ colligere, aliam fore vitam, ubi remuneratio bonorum, quin suum cuique operi meritum justissima lance tribuetur. De quo nos Christiani tamen certi sumus *conf. 1. Corinth. III, 6. 2. Corinth. IX, 6. Galat. VI, 4.* Neque hæc gentibus incognita sunt, cum tota eorum Theologia huc redeat, & ipsorum diu nihil aliud ferè sint, quàm homines virtutum gloria illustres, qui ob bene merita in deorum numerum relati. Uti hæc ex *Eusebio de preparat. Evangel.* aliaque ad hanc rem spectantia eleganter demonstrat *Dn. Coccejus in alleg. disp. de princ. Jur. Nat. vero & adequato.*

§. XXII. Apparet igitur, omnem juris quæstionem eo dilabi, ut suum cuique tribuatur, quoties igitur alterius jus læditur, toties id ipsum resarciri, & quod ita ablatum reparari debet, alteri igitur in justitia jus aliquod quæsitum, & sola justitia in respectu ad alterum fundatur §. 3. *l. de J. & J. l. 1. l. 10. ff. eod.* quare nec hic quæstio aliqua salutis æternæ versatur, talis enim non ad hoc, sed aliud forum spectat, & specialem, quam natura sibi relicta vix concipiebat, revelationem supponit. *Pufend. in præfat. oper. de jur. Nat. & Gent.*

*Juris essentia in eo consistit, ut suum cuique tribuatur.*

§. XXIII. Unde duo porrò sunt, à quibus jus omne probe discernendum, alterum est, ne cum virtute, alterum, ne cum utilitate nimium misceatur, & ita disciplinarum, à jure longè discretarum, termini confundantur. Virtus pertinet ad Ethicam, hæc enim hominem penitus informat, quomodo cessante vinculo juris, ex honestate, pietate, & singulari quodam ad laudem insignem motu quis actiones suas componere, & ita felicitatem aliquam summi boni sibi comparare queat. Politica verò summam

*Jus ab Ethica & Politica probe distinguendum.*



Reipublicæ cujusvis utilitatem, quæ varia, vaga, & mox hoc mox alio tempore alia atque alia adinvenitur, promovet, ut adeo hæc vix definiri possit, sed à mero Principis arbitrio dependeat. *conf. Grot. in proleg. §. 5. 7. & 57.* aliud igitur honestum, aliud decorum, aliud utile est, illa ad ethicam, hoc ad politicam spectat; aliud quoque sunt consilia, monita, dogmata, mandata, præcepta, amicorum, patrum, dominorum, parium, inferiorum, quæ potissimum persuasionis non obligationis vim induunt.

*Improbatur divisio justitia in expletricem & attributricem.*

§. XXIV. Inde quoque constat, frustra Dd. circa famosam justitiæ divisionem in expletricem & attributricem occupari, cum illa vera, quæ obligationem in se continet, justitia, hæc verò, quæ & alias aptitudo vocatur, ad Ethicam spectet.

*An jus N. in bruta cadat?*

§. XXV. Ob defectum rationis bruta jure N. non obligari, extra dubium est, malè verò umbram rationis ipsi distribuit *Grot. lib. 1. c. 1. §. II.* neque bruta puniuntur, sed ab abolendam turpis rei memoriam tolluntur *cap. 4. c. 15. q. 1. Conf. Val. Riemeri decad. 1. q. 5. Ungebaur. Ex. Inst. 2. Hopp. Exam. Inst. tit. 2. quest. 5. Ledereri dissertat. de jure bestiali.* malè quoque statuitur, jus N. in bruta cadere, uti frustra *Hopper. de art. jur. l. 1. fol. 45. & Hugo du Roy. l. 1. tit. 2. §. 3. Conf. Charon. de la sagesse l. 1. c. 34. n. 7. 8.* putant. Rectius jus Nat. omnibus animantibus commune dicitur, quia convenit causa, materia, fine, non forma: actiones brutorum ex solo instinctu motuque intrinseco reguntur, queis bruta veluti automata & horologium quoddam à subtilissimo, quem vehunt, sanguine diri-





diriguntur, *Obrecht. disp. feud. 12. de bell. th. 65.* neque spernenda est *Dn. Kulpis* sententia in §. 8. *Colleg. sui Grot.* docentis, actus brutorum jure naturali regi, non tamen bruta secundum illud agere, rationes pro utraque sententia afferri solitas in peculiari *dissertat. collegit. Adrianus Beierus. conf. Goëhaus p. 1. peric. academ. q. 2. Struv. S. I. civ. Ex. 1. th. 55.*

§. XXVI. Frustra quoque videtur magnus cæteroquin Grotius jus naturæ per dictamen rectæ rationis definivisse, quæ sententia maximè dubium suspectumque reddit Jus N., cum, cui præ altero rectior ratio sit, haud constat, quo ipso sane, quot homines, tot efficerentur jura naturalia, inde diversissimæ & tot monstrosæ circa Jus Nat. opiniones; accedere poterat, summam litium materiam heic originem, altero alterius rationi cedere nolente: quin apertissima confusionum omnium seges hic panderetur, quolibet suæ dictamina rationis pro aris & focus defensuro. Ita nec inter Jus N. & cæteras omnes disciplinas mechanicas, opificia, &c.; differentia aliqua ostendi poterat, omnibus hisce ex principio rectæ rationis fluentibus *Conf. Dn. Bodin. diss. de jure mund. §. 2.*

§. XXVII. Id tamen diffitendum minimè est, rectam rationem medium quoddam esse, quo Jus Nat. voluntatemque Creatoris intelligimus, & ad ipsius normam componere discimus.

§. XXVIII. Neque etiam consensus Gentium veluti universalis aliqua causa, idoneus est, ad jus aliquod constituendum, cum perpetua regula sit, uti

*Male jus  
N per Di-  
ctamen re-  
ctæ rationis  
definitur.*

*Ratiome-  
dium intel-  
ligendi J N*

*Consensus  
Gentium  
Jus Nat.  
non facit,*



uti par in parem, sic gens in gentem jus aliquod habere nequit, quamvis nec id diffidendum sit, quod consensus gentium universalis & exempla moratorum populorum, illustrent quidem, confirmentque sententiam, non probent, nedum faciant jus aliquod.

*Quid Jus Gentium.*

§. XXIX. Solet quoque Jus Naturæ Gentium jus vocari, quod si de Jure Gentium primævo capias, admitti potest. Hoc enim nihil aliud est, quam quod naturalis ratio inter homines constituit §. 1. *J. de J. N. & G.* ut cultus Dei & Parentum l. 2. ff. *Just. & Jur.* præcepta generalia in §. 3. *J. de J. & J. Dn. Coccej. hypomnem. Inst. d. t. §. 2. & Dd. passim ad d. t. J.* Jus Gentium secundarium est, quod gentes ipsæ usu exigente & humanis necessitatibus constituerunt §. 4. *J. de J. N. & G.* uti sunt formæ negotiorum. *conf. Selden.* acriter pro hoc jure pugnantem in *Mari Claus. l. i. c. i. 3. & 7.* Hoc jus obligationem inducit nullam, nisi communi gentium consensu receptum sit, quin nec unum omnium est Jus Gentium *Freinsheim Diatr. de præced. Elect. p. 31.* aliud enim universale, aliud particulare est, quod *Grot. in lib. 3. 4. 16.* de telis venatis, stupris, captivitate, destructione templorū ostendit, quin nec perpetuum, aliud enim antiquū, aliud recentius est, quæ fuse prolixissimis allegatis demonstrat *Kulpis in colleg. Grot. §. 9. conf. Rachel. insp. de jur. gent. §. 16. & 85. Mevius prodrom. Jurispr. diss. 5. Habn. ad W. t. i. de l. & l.* Ex quo sponte fluit, principes, qui talia jura constituerunt, admittendo extraneos ad jura suæ civitatis, non obligari huic juri a se constituto, cum nemo sibi ipsi legem ferre possit,

possit, adeoque hoc jus positivum sive jus Gentium semper iterū abrogare poterunt, quod si vero gentes cōmune aliquod juris vinculum voluntate sua receperunt, ex fœdere quæque pars jus suum vi quoque tueri potest, sed tum cessat natura juris Gentium, & res ad ipsum jus naturæ pertinet, quod fœdera & pacta servare jubet, apparetque adeo, non esse hoc casu amplius jus Gentium, sed ipsum jus naturæ, cui nihil tam congruum, quam ut pacta conventa, serventur *l. l. ff. de pact.*; & quod non gentes inter se constituerunt, sed Deus inter gentes, differunt autem Jus Gentium secundarium & jus naturæ i. quod hoc Deum autorem & legislatorem habeat, illud homines & gentes ipsas ex definitione, quæ habetur in *§. 2. & §. pen. I. de jur. N. & Gent. 2.* illud summas potestates & populos liberos non obligat, quia sibi ipsis legem dicere non possunt, hoc vero omnes homines obligat, quia a superiore sc. Deo constitutum est. 3. Illud tolli mutarique potest, hoc non potest *d. §. pen.*

§. XXX. Studium verò hoc præstabile, illudque cum civili jure omnino conjungendum: bene hoc indicat *Struvius præfat. tract. de vind. priv.* Ubi hoc studium eleganter facere ad perfectionem & confirmationem juris Romani tradit, sed monet etiam, ne planè deseratur jus Romanum, aut sibi quisque jus aliquod fingat. Præterea jus hoc cum ipso genere humano rerum natura prodidit *§. II. I. de R. D.* quin cum hoc subsidiaria omnium jurium norma & basis, ita præcipue ad comprehensionem cujuscumque

*Commen-  
datio J. N.*



que juris particularis utile non modo: *Selden. Hobbes, Zieglerus in suis præfationibus*, verum necessarium etiam debet haberi vid. *Dn. Schilteri Manud. philosoph. mor. ad jurispr. c. 1. §. 10.* frustra nitentibus illis, qui neglecto hoc studio, ad Doctorum formulas & auream praxin convolant. Hoc solo jure Deus utitur in administranda gubernandaque omnium rerum universitate & natura, cum præter justitiam naturalem velut universalem alia non detur, jus hoc regibus, principibus, quin omnibus hominibus præscriptum est, cujus exequendi causa unice nati & conditi sumus, vitamque accepimus, siquidem homines creati sunt, ut voluntatem sui creatoris in omnium animis constitutam, ac in ipsa creatione quasi adjectam observent atque explicent, cum hoc jus ignorare velle, nihil aliud sit, quam ignorare totius vitæ finem, propter quem conditi sumus, siquidem sumus legislator non obiter & frigide, sed, ut in minimis quoque jus hoc ipsiusque voluntatem expleamus, horrendis execrationibus injunxit; tam diu steterunt & durarunt Respubl., quam diu earum duravit justitia. Jus hoc perpetuum & immobile est; cum enim omnia reliqua jura mutantur locis, temporibus, civitatibus, hoc unum, nullis abrogationibus obnoxium, inconcussum perstitit & æternum est, & cum reliqua jura exiguis civitatis suæ terminis coerceantur, hoc jus universale est, & ad universam rerum naturam pertinet.

**Cautela,**

§. XXXI. Optima subinde cautela est, ut in hoc studio, præsertim si de apertissima Creatoris pro-



prohibitione non constat, tutiores assumantur sententiæ, & queis rite ponderatis, haud ægrè quis confensum præbiturus, nisi quis ex distorto animo vim sibi inferre velit. Multa quoque incidunt, quæ quidem, quo ad originem natura non instituit, sed quibus, permittente Creatore, introductis, propriè quid naturæ magis conveniat nec ne, quæritur, inde aliud est jus Naturæ absolutum, aliud hypotheticum. *Dn. Vit. inst. jur. Nat. cap. I. qu. 17. Grot. l. I. c. I. §. 10. n. 4.*

## CAP. II.

# *De Eo, quod humano generi competit.*

### §. I.

**E**Xposito juris fonte, necesse est, ut capita ista, ad quæ liberrima hæc hominis facultas se extendit, probe inspiciamus. Deus homini plenissimum in terram, mare, & omnia, quæ in iis sunt, jus dedit, frustra enim contra intentionem summi numinis, nihil frustra condentis, creata essent, nisi esset, qui hæc ad debitos transferret usus; neque enim alii usui, quam ut homini serviret, terra condita est: homini insuper citra usum rerum creaturarum pereundum esset, homo ex vento vivere non creditur *l. 2. C. de alim. pupil. prestand.* Quin ipsa illa creatio, rerum omnium conservatio, variæque ejus circumstantiæ nihil aliud evincere videntur *Dn. Coccej. pos. §. G. 5.*

*Connexio.*

D

§. II.



*Competit  
hoc jus uni-  
verso hu-  
mano ge-  
neri.*

§. II. Competit autem jus hoc Universo Hu-  
mano generi, non uni alterive, unus homo in terram  
hanc jus nullum prætere potest, cum plures cre-  
ator facultates produxit, easque æqvavit, ne uni o-  
mnia competant. Deus non creavit prædium, quo  
unicus homo uti posset, sed condidit universum  
mundum, omnibus hominibus simul sumtis suffici-  
entem: natura omnium providentiæ consulere vo-  
luit, bene insuper *Tacitus* inquit *l. 3. annal.* uti cælum  
diis, ita terra hominibus data, cum quo convenit sen-  
tentia JCTi in *l. 28. §. 1. ff. de usuris* fructus rerum o-  
mnes hominis causa productos.

*Quid sin-  
gulis com-  
petat.*

§. III. Singulis vero, & unicuique individuo  
competit jus occupandi illud, quod nullius est: facta  
occupatione, res plene in dominium transit, ut alte-  
rius plane exclusa sit facultas: duobus simul occu-  
pantibus, res dividetur pro parte *l. 15. §. 18. ff. de damn.  
infect.* Unde fluunt duo juris Romani principia, sci-  
licet jus nullius cedere occupanti, & duo ejusdem  
rei dominos in solidum non esse *l. 3. §. 5. ff. de acqui-  
rend. posses.* atqui hi sunt fontes proprietatis, de qui-  
bus Theologi *ad 7. præceptum.* JCTi *ad tit. de A.R.D.*  
Moralistæ *ad Thom. II. 2.* Philosophi *ad Arist. 1. pol.*  
præterea quoque *conf. bic Selden. lib. 6. Pufend. IV. 4.  
Textor. c. 7. Kulp. ad Grot. cap. 2. lib. 2. §. 1. & late  
Grot. L. 2. c. 2.*

*Nulla fuit  
communio.*

§. IV. Ex hoc principio nequaquam fluit ve-  
xata illa de communione primæva hypothesis, com-  
munio autem tripliciter considerari potest, aut  
quando plura negotia communia, aut quando pluri-  
bus



bus competit jus occupandi, de posteriori omnino verum, quod Ictus in *l. 1. §. 1. ff. de A. R. D.* dicit, meliorem occupantis conditionem esse, neque prior etiam pugnat: at vero, quæ tertia consideratio est, & rerum & dominiî communio nec fuit unquam, nec est ullibi, nec possibile fuerat, *conf. Euseb. præp. Evang. 12. 13. Lactant de justit. c. 5.* & an ea in integritatis statu fuerit nec ne? late exequitur *Dannbauer. Colleg. Decal. D. 16. §. 2. Osiand. Böcler. ad d. Grotii locum. Jacob. Schallerus in opere de paupertate monachorum passim.* Si enim communes olim fuissent res, sequeretur, quod nemo aliquid ex terra sine communi hominum consensu percipere potuisset, communis enim res est, quam alter alteri, æquale jus habenti, intervertere non potest. Neque etiam, stante ista primæva communione, quicquam juris in nascendos in futurum derivari potuit, cum illi, inter quos communio ista stabat, omnem terræ facultatem occupaverint, nascendis, cum occupabile nihil amplius supererat, exclusis. Cum vero in §. præcedenti evictum sit, jus in hanc terram competere omnibus, sane quod ad omnes pertinet, non potest dici ad nullum pertinere, quod enim commune est, non cedit occupanti, sed quod nullius est, pugnat igitur rem ad omnes & ad nullum pertinere, *conf. l. 1. §. 1. ff. de acquir. l. amittend. possess. l. 3. pr. de acquir. rerum dom. §. 12. I. d. Rer. div.* Illud quoque accedit, si communio olim fuisset, nec hodie ulla terra vacans occupari posset, omnes enim idem jus in eam haberent, omnes Adami sunt posterii. *conf. Senec. de beneficiis l. 7. c. 12. Pufend. de J. N. & G.*

L. 4. c. 4. §. 23. 4. Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 2. §. 1. Bœcler. ad Grotium p. 47. Struv. Syntagm. I. C. exerc. XI. lb. 55. & Synt. I. Feud. cap. 1. n. 1.

*Quid res sit.*

§. V. Res est, quicquid in hominum usu esse potest, quæ tale, cum suis causis l. 23. ff. de V. S. Coccej. hypomn. inst. l. 2. tit. 1. §. 1. Per causas rerum, contractus, quasi contractus, delicta, quasi delicta intelligimus. In aliis rebus substantia rei & usus separari possunt, uti lana a substantia ovis secerni potest, aliæ vero res a substantia separari non possunt, ut quæ in abusu consistunt, seu quæ usu consumuntur, ita quoties vino utimur, toties totam vini substantiam exhaurimus.

*Divisione rerum.*

§. VI. Res sunt vel *Communes*, quæ omnibus hominibus competunt, uti usus maris, littorum, fluminum, riparum, aer, aqua profluens, ventus, lumen, transitus innoxius. Siquidem harum rerum usus inexhaustus, & absque his homo vivere non poterat §. 1. I. d. R. D. §. 4. 5. I. eod. l. 24. pr. damn. infect. Publicæ, quæ uni populo ejusque civibus l. 15. ff. d. V. S. *Universitatis*, quæ corpori subordinato §. 6. I. d. t. *Nullius*, quæ nondum occupatæ sunt, possunt tamen occupari §. 12. I. d. t. ut proprietates maris, alvei marini, & littorum, feræ bestiarum, inventa in littore, insulæ in mari natæ, thesaurus, res pro derelicto habitæ §. 4. 5. 12. 18. 22. d. t. l. 31. §. 1. d. A. R. D. §. 46. d. t. de quibus sigillatim.

*Quid mare sit.*

§. VII. Mare totum aliquod aggregatum est, constans littoribus, alveo & aqua marina: *littora* sunt latera opposita, quæ aquam, ne inundet, arcant: *alveus*.





*alveus* fundus est, cui aqua innatat, *aquam marinam* constituunt particulæ & corpuscula liquida *Dn. Coccej. d.l. §.9. Legrand. inst. philosoph. part. 6. cap.7.*

§. VIII. Certum est mare, sumtum aut sub ratione integri, aut sub ratione præcipuarum partium, non solum in proprium jus tam dominii quam imperii, ratione æque ac res cæteras, quas initio Deus hominibus concesserat, variis modis acquirendi abire, atque ita etiam retineri posse: disceptatum hæc de re inter Anglos & Batavos, *Seldeno & Grotio* causæ patronis, hoc pro libertate liberoque adeo mari, illo pro occupatione maris pugnante, historiam controversiæ exhibet. *Boeclerus ad Grotii librum 2. §. 3.* Equidem si dicere fas est, quod res est, & natura & jure occupari potest mare. Innuit id natura occupationis, quæ nihil aliud est, quam actus, quo res in nostra potestate constituitur, in nostra autem potestate existimatur illud, quo uti, & alterum inde arcere possumus. Jam vero maris natura ita comparata est, ut classe non tantum occupari, sed & defendi possit, quin ex littoribus & portibus in mari erectis alterum arcere valemus; præterea cum terra occupari potest, multo magis aqua tanquam pars terræ occupabitur, tota autem terra occupata, partes ejus maris, quibus terra continetur, occupatæ censentur, cæterum facillime quoque mare occupabitur, si ingressus ejus occupetur, uti in freto *Gaditano.* conf. *Strauch. de imper. Mar. c. 2. Huldericus ab Eiben Obs. ad I. Disq. 6. Obs. 3. Gryphiander de insulis c. 14. §. 13. Feltman, ad l. 2. §. 1. ff. de R. D. Struvius*  
*Synt.*

*An occupetur mare.*



*fynt. l. F. c. 6. th. 7. n. 1. & 2. Ziegler. de jur. Maj. l. 2. c. 7. n. 9. & 10. Schilter exerc. 4. ad ff. th. 15. Oldenburg de quatuor element. t. 3. §. 13.*

*Ufus Ma-  
ris.*

§. IX. A substantia maris separari potest ejus usus, qui in navigando, piscando, & sale coquendo consistunt, posteriores duo modi veluti res nullius recte occupantur, prior non, impedito enim navigationis usu commercia rerum tollerentur, est igitur, manetque navigatio res communis.

*Ufus flumi-  
nis.*

§. X. Usus fluminum, perinde uti usus maris, occupari potest. Flumen est, quod constat ripis, oppositis scilicet istis lateribus, quæ flumen, ne evagari possit, coercent, *alveo*, qui corpus liquidum sustinet, & *aqua fluente*. Aqua fluens communis mansit, ut bibi hauriri que possit, secus hoc in iis locis ubi aqua venditur conf. l. 3. §. 1. ff. de flum. Dn. Coccej. hypomn. lib 2. t. 1. §. 10.

*An inun-  
datio domi-  
nium affe-  
rat.*

§. XI. Per inundationem dominium rei nostræ non ademptum, secus si per inundationem totalis fundi mutatio contigerit, dum scilicet flumen latera utrinque opposita habet, per quæ decurrit: frustra vero ex Grotii sententia submersus ager per piscationem retinetur. Qui aqua utitur, terra non utitur, piscatio non est actus dominii, sed omnibus, quia res nullius est, patet, nisi ejus usus interdictus occupatusque fuerit, ut ut quidem in nondum occupatis aquis quilibet piscari possit, quoties tamen ego piscor, aut ad id me præparo, alter usum ejus rei turbare non potest. l. 1. §. 5. ff. de flumin.

*Quid occu-  
patio.*

§. XIII. Insulas itaque, feras, fructus rerum, occu-



occupari posse, indubium est: occupatio est actus, quo rem in nostram potestatem & custodiam, animo ejus habendæ, redigimus, inde non vidisse, sed actualiter apprehendisse sufficiet. *l. 1. §. 1. ff. de Acquirend. possess. Illustr. Dn. Stryck. de jur. sens. Diss. 1. c. 3. n. 34.* res occupata in nostro dominio est. Dominium est naturalis facultas utendi re. Furiosis, infantibus æque ac aliis hominibus; non solum jure civili aut gentium, sed ipso etiam naturali jure dominia competunt, nihilque enim aliud, quam effectus domini exercere impediuntur, administratione scilicet, quæ maturam ætatem & judicium requirit, aliis relicta. *conf. Ziegler. ad Grot. p. 244. Conring. ad Lamp. III. 4. 26. Pufend. IV. 4. 15.* Quare eos dominio rerum per repræsentationem humani generis uti, merum, quod ad naturale jus non pertinet, figmentum est.

*Quid possessio.*

§. XIV. Res occupatæ pariter in nostram, qui effectus domini est, possessionem transeunt. Possessio est naturalis facultas incumbendi rei cum animo tenendi conjuncta. Teneri res per instrumenta quoque potest, univrsum corpus instrumentum est, nec interest, utrum rem manu ipsa, an instrumento, quod in manibus habeo, teneam. Ipse homo hominis instrumentum a natura esse potest, neque enim interest, utrum nostro an alieno instrumento utamur, inde per alium quoque possidere possumus, quo casu nos possidemus, sed alterius, non nostro corpore *l. 3. §. 12. l. 18. in f. pr. ff. de A. A. P.* adeoque non nisi una hæc possessio est, quæ fit nostro animo, alterius corpore; illius enim actus nuda detentio,  
non

non possessio est. Facultas illa per temporarium impedimentum non tollitur, modo non omnis rem recuperandi spes evanuerit, quare si feræ in potestatem nostram redactæ evadant, ex natura feritatis nostræ esse definunt, *l. 1. §. 10. ff. si quadr. pauper.* ferarum enim, quæ infinitum vagantur, fera est natura, perinde uti annulus in profundum mare projectus noster esse desit *l. 23. ff. de præscr. verb.* Hinc duo tantum sunt modi, quibus possessio tollitur, 1. quando facultas tenendi in perpetuum tollitur 2. quando impedimentum, etsi temporarium est intrinsicum v. gr. quando prædo res nostras occupans a possessione nos repellit, ut ut ista res per judicem facile recuperari possit, mea enim tum facultas exclusa est.

*Requisita  
possessionis.*

§. XV. Ad possessionem acquirendam animus & corpus requiritur, qualem possidendi animum viator fundum transiens, & qui familiaritatis gratia ejus commoditate utitur, non habet, alias enim lapis, qui agro incubat possidere dici posset *l. 1. §. 15. ff. si is qui testam. lib.* animus igitur tenendi animam possessionem, optime hoc exprimit JCtus in *l. 1. §. 3. de A.P.* inveniens, sine affectione tenendi non magis quem possidere, quam si dormienti in manum quid positum sit. Unde duo, uti jam monitum, possessionis cardines sunt, facultas naturalis & animus tenendi, qui ad ipsam ejus formam conjunctim requiruntur. Quare pisces in piscinis, quæ ad hoc, ut pisces apprehendere possimus formatæ, munitæ quæ, in nostra potestate sunt, secus in piscibus, qui in rivis privatis degunt *l. 3. §. 14. ff. de A. vel A.P.* Idem de  
feris



feris in vivario non sylvis circumseptis dicendum, erat, illa enim ad custodiendum, hæ propter ligna & fruges terrestres sunt; Quodsi verò ad id ipsum quoque sylvæ circumseptæ sint, & rivi muniti, jam verissima sunt vivaria & piscinæ. Frustra hic à JCris Romanis dissentiente *Grotio l. 2. c. 8. §. 2. conf. Dn. Cocceji disp. de jure ejus quod facti est, modisque illius amittendi sect. 4. §. 1. & 2. Consentit. Pufend. IV. 6. II. Selden. l. 6. c. 4.*

§. XVI. Quicquid ex re nostra resultat, ad nos non aliū spectare, tralatitii juris est, quo nomine foetus ex vacca productus ad dominum fœmellæ non masculi pertinet, eo enim tempore, quo vacca concepit, semen transfusum, nec amplius masculini corporis pars est. Semen proinde in bonis non est, & quamvis in bonis sit, pars tamen matris maternorumque viscerum est, neque hic quæritur cujus sit semen, sed cujus sit foetus, natura enim non produxit semen in utilitatem hominum, sed foetum. Perinde uti in fundo non quæritur ex cujus semine, sed ex cujus fundo fructus sit natus, aliter sed ex ratione, uti credo, non sufficiente hoc determinat *Dn. Kulpis: Colleg. Grot. l. 2. c. 8. conf. Ziegler. Felden. ad d. Grot. locum.*

*Fœtus ad dominum fœmellæ pertinet.*

§. XVII. Neque in confusione, neque specificatione, materia licet mala fide attrectata, res ita confusæ communes evadunt, quin, ut accessio rem principalem sequatur, meri juris positivi, non naturalis est. Naturâ enim hisce modis jus cujuscunque non mutatur, sed cum cuique integrum à iudice tribui

*Confusio, specificatio &c. non mutant dominium.*

E non



non possit, recte legibus Civilibus ei adjudicatur res, cuius jus potius est, salva alteri æstimatione *l. 31. ff. depos.* Quare exempla de ædificatione §. 29. 31. *l. de R. D. Satione* §. 33. Scriptura §. 34. Pictura §. 35. ferruminatione, adplumbatione facile suam capiunt decisionem *Conf. l. 23. §. 4. ff. de R. V. l. 9. §. 2. de A. R. D. Grot. d. c. 8. §. 19. 20. 21. 22. Pufend. l. 4. c. 7. §. 8. Connanus comment. jur. civ. l. 3. c. 6. add. Lex Wisigothorum l. X. tit. 1. c. 6. Tiraquell ad l. si unquam n. 18. C. de revocand. donat. Gilckenius ad tit. de R. D.* Bonæ fidei possessor ut fructus omnes ex re suos faciat quos percepit, naturale idem non est, sed hoc tantum, ut jus habeat impendia in rem facta & operam utilem imputandi, ac pro iis deducendi fructus perceptos imò & extantes, si aliter non fiat restitutio, retinendi, atque idem quantum ad impensas de m. f. possessore dicendum. *Grot. d. l. c. 5. §. 23. & 24.* Consumptis fructibus hic omnes tam perceptos quam percipiendos, ille id, in quantum saltem locupletior factus, de J. N. quoque, uti infra constabit, restituit. Bene hoc notante Jcto Paulo in *l. plane 38. ff. de Her. pet.* ubi vult etiam in prædonis persona haberi rationem impensarum. Non enim debet petitor ex aliena jactura damnum capere, adde *l. 48. ff. de A. R. D. l. 25. §. 3. ff. de Her. petit. l. 1. §. ult. l. 2. 3. 4. ff. deposit. Pufend. IV. c. 13 §. 7. 8. 9. 10. seqq. Michael. de Montaigne essais l. 1. c. 21. Menochius de recuper. poss. f. 467. Lambertinus in tr. de contract. qui sine certa solennitate gloss. 1. p. 55. n. 23. Anton. Gabriel Romanus in comm. concl. tit. de R. I. concl. 2.*

§. XVIII.



§. XXIII. Occupatio vel per singulos, uti dictum, vel per Universitatem fit, indeque occupatio alia publica alia privata, quod ita universim occupatum in singulos dominos descriptum non est. Occupatione ab universitate facta, ad singulos nihil nisi quod inter eos distribuitur, spectat, quo nomine quæcunque in territorio sunt, uti thesaurus, aliaque naturæ dona & bona *Conf. l. unic. C. de thesaur.* non amplius nullius, sed territorii sunt. Flumine imperia duo secante, an mutato flumine, imperii terminus mutetur acris controversia est. Grot. distinguit, ut si territorium habeat qualitatem agri limitati, nihil mutetur, sin arcifinii, mutetur, flumine tamen heic paulatim mutato, non alveo toto. Verum quæ de agris limitaneis, arcifiniis, &c. afferuntur, differentia juris positivi sunt, Jure N. cursus fluvii non mutat jus quæsitum, sed quia commodius est, terras finiri fluviiis, hinc Jure Gentium secundario ad controversias evitandas, & quia difficilis terminorum probatio videbatur, hoc receptum est absque discrimine agrorum, in dubio vicini par jus habent, nisi appareat antiquior possessio; occupato territorio mare vicinum occupatum non videtur, aliud enim terra aliud mare, quod illam alluit, nisi mare totam territorio occupato cinctum fuerit *Conf. Puffend. IV. 7. 11. Obrecht. dissert. Sacr. term. §. 34.*

*Uterior  
Occupatio  
nis divisio.*

§. XIX. Quamvis quidem dominium in feras, pisces, aves indistincte unicuique naturaliter competat, nihil tamen impedit, quo minus Principes, illique, qui summum tenent imperium, jus sibi hoc,

*Principes  
venationes  
recte sibi  
vindiciant,*



exclusis penitus privatis, assignare possint *Conf. l. 6. ff. de l. & l. Convarruv. in C. peccatum de R. l. in 6. p. 2. & 8. n. 1.* non destruit hanc principum facultatem prima Creationis lex, subjicite vobis bestias; Nam hæc facultatem quidem capiendi hominibus concedit, ast non, ut capiant, necessitatem imponit; Quin cum hæc Juris permissivi, ita non possunt non, utilitate Reipubl. id exigente, mutari. Neque etiam videbatur consultum rusticos & opifices labore suo relicto per sylvas vagari, quod & latrociniiis exercendis paulatim ipsos poterat allicere. *Conf. Constit. Frid. II. l. 2. F. t. 27. Pufend. IV. 6. §. 6. Ziegler. de jure Maj. l. 2. c. 14. §. 24. Brunnem Cent. 2. d. 15. disp. nostr. I. G. I. c. 1. §. 17. Dd. in l. cunctos populos c. de Summ. Trin. Innoc. & Panorm. in C. à nobis I. de Sent. Excomm. Conrad ab Einsiedel de Regalib. c. 3. n. 350. seqq. Georg. Mor. de jure venandi p. 1. c. 7. n. 5. Habn. ad W. t. ff. de A. R. D. n. 7.* Non ineleganter hoc effert Grotius. Lex enim Civilis quanquam nihil potest præcipere, quod Jus Naturæ prohibet, aut prohibere, quod præcipit, potest tamen libertatem naturalem circumscribere, & vetare, quod naturaliter licebat, atque etiam ipsum dominium naturaliter acquirendum vi sua antevertere. De venatione apud Peruanos egit *Garcilassus de la Vega l. VI. c. 6. Comm. Reg. citatus Pufendorffio d. l.*

*Necessitas  
nullum tri-  
buit jus.*

§. XX. Hac proprietate rerum stante, falsa omnino sententia est, quasi necessitate summa existente, pristina illa, quæ fingitur, communio reviviscat, quin homines primos res mobiles inter se divi-





divisisse, id factum esse pacto publico, eo pacto aliquid reservatum esse, voluisse eos quam minimum, recedatur ab æquitate naturali; Hoc esse æquitatis naturalis, ut communis illa res sit, equidem explosa est sententia de communione primæva, neque præsumptiones, neque pacta, quæ hic finguntur, tacita, jus aliquod N. efficiunt. Neque jus reservatum dici potest, quod nullum est, quod nostrum est alterius facto non potest auferri *l. ii. ff. de R. I.* Verior est sententia, necessitatem jus non facere, at excusare tamen à malitia, inde nec furti crimen hic declinabitur, poena tamen, quæ huic crimini dicitur, heic remissa. Recte notante *id Seneca l. 4. controuv. 27.* necessitas magnum humanæ infelicitatis patrocinium est, quæ tamen ita non debet esse comparata, ut alterius jus lædatur. Dissentit cum *Grotio Dn. Kulpis conf. Pufend. II. 6. 8.* Et *Canonistas ad c. 10. X. de furtis. Palladius de re rustica l. 1. c. 6. Anton. Peretz. ad tit. C. de furtis d. 3.*

§. XXI. Verior quoque eorum est sententia, qui non ex capite innoxie utilitatis, sed ipso naturalis juris decreto jus traseundi sive per terram sive per mare vindicant, equidem sine hoc jure vix societas aliqua subsistere posset, cum enim non omnia ferat omnia tellus, inde altera terra alterius indigentiam supplere debet, commercia etenim sunt veluti spiritus & anima Reipubl., queis sublatis, foedus humani generis rumpitur, tolleretur ergo societas humana aditu & transitu denegato, tollerentur, quæ diximus, quæque jus Gentium communia voluit.

com-

*Quid jus  
transiens  
& an com-  
petat?*

commercia, excluderentur multæ gentes ab usu terræ, quem Natura toti humano generi communem voluit. Ut adeo multis, quibus fœcundum cœlum solumque concessum non est, gentibus pereundum fit. Quin, cum ante occupationem hoc jus omnibus hominibus competiit, & res communis fuit, perinde uti usus aeris, ita per occupationem tolli nequit. Imo nec principes jura sua contra eos, qui vicini non sunt, defendere possent, sic enim ab intermedio semper impediri possent. Neque dissentientis *Strauchii de Imper. mar. cap. 8. n. 2. Ziegleri & Osiandri* sententia quicquam ponderis habere videtur. Quod enim per privatum fundum ire non liceat, nisi constituta servitute, ad publicum hunc transitum vix potest transferri, neque enim in privatis istis ratio transitus tam necessaria, qualis in publicis est, ad commercia, ad bellum; plures rationes supeditat *Dn. Kulpis. in Coll. Grot. lib. 2. c. 2. §. 6. dissentit. Dn. Thomaf. inst. jurispr. div. l. II. c. 6. §. 35. 36. 37.*

*An compellatione opus sit.*

§. XXII. Ad transitum obtinendum, compellatione opus non est, nisi ad id, ut caveatur de damno evitando, quæ cautio non ipsum transitum, sed securitatem transitus afficit. Equidem si infirmiori Domino periculum aliquod immineret, tam diu transituris transitum impedire potest, quam diu solidam indemnitate cautionem non præstiterint, commodumque erat, si diviso agmine ac per modicas catervas transmittantur copiarum *Pufend. III. 3. 5.* Præterea vix periculum subesse videtur, si inermes transeant, si impensa transeuntis is, qui transitum,

con-



concedit, sibi præsidia idonea conducat, si obsides det *Grot. l. 2. c. 2. §. 13.* Hoc jus vano metu non tollitur, si verò hostis aut clades evitari non possunt, jam non amplius innoxius erit transitus, in quo si uterque contradicat, causa belli incipit. Quamvis autem transiturus injustum moveat bellum, nihilominus transeundi jus integrum manet, nisi is hosti meo assistere, ejusque causam sequi amet, tum is non amicus, cui tale naturæ privilegium patet, sed hostis evadit. Eadem in illo ratio obtinet, qui transitum eo nomine petit, ut socium meum affligere possit, socii causa mea causa est; quod de personarum transitu diximus, idem in rebus transeundis tenet.

§. XXIII. Cum vero dominus territorii non tantum securitatem viarum tam maritimarum quam terrestrium præstet, sed & vias reficiat, & quæ ad commodiorem transitum faciunt porrigat, recte transeuntibus personis, vel mercibus onus aliquod, quod plerumque vectigal vocari solet, imponere potest. Conf. *l. un. C. de nautis l. 9. §. 2. de vectigal.* Hujus fundamentum (1.) in jure territorii (2.) ob onus defensionis. *Dn. Thomas. d. tr. l. II. c. 6. §. 40.* æquus autem in tributis exigendis modus servetur, in dubio standum est judicio principis territorii. Cum verò notoria ipsius injustitia deprehendatur, non extranei ipsi; sed per suum Principem agunt. Ex eodem capite jus angariæ descendit. Prætervehentes quoque valetudinis aut alia justa de causa in alterius territorio aliquantisper morari, tugurium momentaneum ad retia siccanda ponere possunt.

Ex

*Justitia  
Vectigaliū*

Ex hoc capite descendunt quoque Jura *protimiseos, stapule, geranii, Cataractarum, de quo elegans. disp. Dni Strykii Filii conf. hic Straub. d. tr. c. 6. §. 7. Pufend. III. 3. 6.* quod autem sedibus suis expulsis, dum imperium Principis alicujus subeunt, perpetua habitatio concedenda, & siquid deserti ac sterilis intra territorium est, advenis id postulantibus permittendum sit, de quo *Grot. l. 2. c. 2. §. 16. Pufend. l. 3. c. 3. §. 9.* Id magis humanitatis quam juris est. *Conf. Disputat. Nostram de jure hum. cap. 1. §. 13.* Huc pertinent quoque res innoxie utilitatis, operose à *Cicer. lib. 1. Off. descriptæ, quæ scilicet accipienti utiles, danti non sunt molestæ, contradictorium est, & in principia juris impingit, ob solam utilitatem in re aliena jus esse l. 11. de R. l. 120. de V. S. Thomas. de l. §. 43.*

*Jus vendendi commune non est jus.*

§. XXIV. Male verò ad jus aliquod commune populis inter se invicem, ad actus quos humana vita desiderat, refertur jus emendi vendendive. Emptio enim & venditio consensum utriusque requirit, ut adeo quis ad vendendum emendumve cogi non possit. *Conf. l. 11. C. de C. B.* Neque alter in alterius res jus habet, nisi publica id svadeat utilitas, v. gr. annonæ caritas &c. ubi quis non tantum ut vendat, sed & ne vendat cogi potest. Inde & commercia non nisi ex duobus capitibus ob publicam scilicet utilitatem & pœnam prohibentur. Princeps enim ex publica utilitate non tantum in res & bona, verum etiam actiones nostras Jus imperiumque habet.

*De libertate matrimoniorum & monopoliorum.*

§. XXV. Libertas quoque cum exteris matrimoniis ineundi, ad quæ tamen hi non cogentur, patet;



patet; Communi populi consensu peregrini excludi possunt. Si vero certus quis populus excludatur, ei utique fit injuria, bello resarcienda. Ex hoc capite quoque monopoliorum justitia fluit. Dispositio enim de re sua naturaliter in infinitum se extendit, quare recte populus cum populo paciscitur, ut is populus certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli vendat. Ob utilitatem autem publicam hæc prohibentur. *i. t. C. de Monopol. Novell. 122. c. i. O. P. 14-77. t. 8. & tit. 37. disput. Nostr. de Contr. summ. potest. cap. 3. §. 9. Pufend. III. 3. II. 12. 13. 14.*

§. XXVI. Male pariter sentire videntur, qui ex præscriptione temporis dominia rerum acquiri posse putant, neque hæc ab animo dependet, dominia enim rerum expressa dispositione transferuntur, neque probabilia hic sufficiunt signa, neque consentire videtur, qui tacet, modo alia probabilior ratio dari possit, silentium enim naturaliter neque consensum neque dissensum infert *l. 142. de R. I. c. 44. eod. in 6. Dn. Coccejus disput. de silent. th. 1. & 2. Confer de Usucapionis jure late Grot. l. 2. c. 4. Bæclerum cum Zieglero in annotatis. Zoucheus Jur. Feodal. p. 11. sect. 3. 4. 8. Seld. Mar. Claus. x. 26. Pufend. IV. 12. 3. 4. Schutz. Colleg. jur. publ. vol. 1. D. 3. Coroll. x. Felden. p. 151. Conring. de fin. Imp. c. 19. p. 273.*

*Præscriptio non est juris Naturæ.*

§. XXVII. Certum est, naturaliter ex lapsu temporis dominia rerum præscribi non posse, tempus enim nihil aliud quam durationem aliquam, nullam juris translationem significat, nudamque saltem spatii denominationem, non agendi facultatem

*Rationes.*

F

tem

tem innuit, hinc recte Grotius, nihil fit à tempore, quanquam nihil non fit in tempore; Quod nostrum est, non transfertur nisi per nostram vel superioris dispositionem, quin qui rem alterius sine voluntate Domini possidet, vitiose possidet, injusteque facit, quæ quidem injuria quo diutius durat, eo magis augetur, tantum abest, ut jus oriri diuturnitate temporis possit, ut potius increascit injuria, ideoque quod injustum est, tam diu manet injustum, donec restituatur in pristinum statum, quod fit reparatione, non vitiosa temporis continuatione, injuria enim reparando non continuando desinit. *Cujacius ad l. 1. ff. de usucap.*

*Inmemorialis est Juris Naturalis.*

§. XXVIII. At si præscriptionis vocabulum retinendum, sola immemorialis præscriptio juris propriè naturalis est, cum enim initium memoriaeque præsentis possessionis non apparet, tutus quis possessione erat, alias enim omnia ab initio orbis dominia in incertum dubiumque vocari poterant, nesciri enim poterat, an non res ab initio orbis sine justa causa Domino suo ablata fuerit, atque ita nemo de dominio suo certus tutusque esset, neque hæc tantum tenet, quando plane non constat alium dominum esse, sed & quando ex annalibus aliisque instrumentis patet, alium quidem Dominum fuisse, præsens verò Dominus juste possideat. Inde talis hic exurgit regula. Sine quo non possunt statui dominia, illud est juris Naturalis, atqui sine præscriptione temporis immemorialis non possunt statui dominia. Ergo. *Dn. Coccejus disput. de justitia belli & pacis regi Portugall. th. 4.*

§. XXIX.



§. XXIX. Si extet quidem memoria initii vitiosæ possessionis, lapsu tamen temporis jus suum recuperandi deseruerit dominus, ex hoc sine probabilique deserentis actione jus remissum censetur, atque præscriptio hæc velut secunda præscriptionis naturalis species quoque tenet, remissio autem talis constare debet vel verbis vel factis *l. 32. de LL.* remissio notitii juris satis constat, ubi non repellit, cum tuto repellere potuisset; Quando nimirum occasionem & media recuperandi neglexit, seu illud fecerit ex animo pacato, seu ex studio Reipubl., ne hæc turbetur, seu ex ignavia, nam in hisce casibus potius aliquis animum derelinquendi, quam recuperandi regnum amissum ostendit, idem est, si metu adversarii omisit occasionem recuperandi, quia suo consensu jus dereliquisse videtur, pertinet & huc, quando omnis recuperandi regnum spes, ut non animus, deficit, v. gr. quando potens adversarius alterum regno expulit, & diu quietus in possessione, expulso nihil ob infirmitatem contra moliente, permansit, quia tum spes omnis abjecta apparet. Hinc ex hac hypothesi apparet, cessare hanc posteriorem quoque præscriptionem, si quis occasionem expectet, vel si occupatus sit in quærendis amicis aut focis, qui ipsum juvent, ut exemplum hujus rei Carolus II. Rex Angliæ, & Dux Bragantinus sistunt.

§. XXX. Optimè vero, ut dominia rerum in certo sint, dominorumque negligentia puniatur, positivis juribus usucapio introducta, multisque pro utilitate Reipubl. legibus munita, quod egregie probat

*Altera Naturalis præscriptionis species.*

*Optimè est LL Civilibus usucapio introducta.*



bat Dn. Coccejus disput. de finib. hon. fid. in præscrip-  
tion. §. 6. 7. seqq. Cæterum quæ circa meræ facul-  
tatis rerum præscriptionem statuit jns Romanorum  
Civile etiam recte se habent, res vero meræ faculta-  
tis seu facti opponuntur rebus jris adeoque sunt.  
(1.) Actus nudi naturales, qui in alium transire ne-  
queunt. (2.) Actus vero alii sunt, qui ex mero ar-  
bitrio, non vero vi juris exercentur; in illis, non his  
præscriptio cessat, atqui horum actuum præscriptio  
a prohibitione, in qua alter per tempus definitura  
acquiescit, incipit,

## CAP. III.

DE

### *Cultura Corporis.*

§. I.

*Connexio.*

**F**Rustra Universi hujus Conditor homini ter-  
ram, mare, feras, fructus, res omnes concessis-  
set, nisi facultas ei competeret, se suaque defen-  
di & contraria amoliendi. Solicitam hanc sui con-  
servationem ipsi motus instinctusque naturales satis  
comprobant, quæ Græcis τὰ πρῶτα κατὰ Φύσιν prima  
naturæ vocantur, est hæc non scripta sed nata lex,  
quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex  
natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad  
quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti su-  
mus. Homini igitur natura competit jus conser-  
vandi se, & omnibus iisdem medijs, quæ ad hunc  
con-





conservationis suæ finem pertingunt, utendi, hanc sui conservationem cuique & amor longe tenerimus & ipsa ratio commendat, quare nec pro lubitu in corpus suum grassari debet, nec illud intemperantia cibi potusque, intempestivo ac non necessario labore, immodicave venere affliget, nemo enim membrorum suorum est Dominus. Homo non propter se, sed creatorem est, quem admirari, ejusque laudis organon esse debet. Quin si corpus nostri tantum causa datum esset, sequeretur rationem incomparabilem illum thesaurum frustra esse datam, est homo sacrosanctum animal, cujus violatio a Deo ipso severissimis pœnis est prohibita. *Cicero pro Milone. l. 13. ff. ad L. Aquil. l. 3. ff. de I. & I. Pufend. de O. H. & C. l. 2. c. 5. Grammat. dec. 5. Cravetta cons. 119. Decius cons. 459. 667. Gail. l. 2. O. 110. n. 13. 14.*

§. II. Consequens igitur est, ut vim illatam quovis modo etiam vi repellamus, ideo enim natura manus dedit, ut arma sumamus in armatos. Quin ubi ex liquidis constat indiciis, alterum in inferenda nobis injuria jam occupari, licet conatus suos nondum plene expromserit, statim licebit violentam sui defensionem auspicari, & noxam adparantem occupare vid. *Selden. IV. 3. Pufend. II. 5. Textor. cap. 5. Carpzov. crim. p. II. q. 28. seqq. Ledererus duobus libris de jure belli privati. Du. Thomas. l. II. c. 2. §. 103. Molina. tom. 3. de J. & Jur. & Card. de Lugo, t. 1. de Just. & Jur. dissentientes refutat Mauriti de vita & def. favore §. 3.*

*Vim vi repellere licet.*

§. III.



*Ampliatio  
hujus præ-  
cepti.*

§. III. Tam laxa est hujus præcepti indoles, ut si corpus impetatur, vi præfente, cum periculo vitæ non aliter vitabili, necessaria defensio, cum interfectione quoque aggressoris, siue is destinato consilio, siue per errorem, aut infania, vel in somniis agitated nos invadat, pateat, dummodo inculpatæ tutelæ moderamen observetur. *Grot. lib. 2. c. 1. Pufend. II. 5. 5. Carpzov, p. 1. c. 6. d. 1. 2. 3. & 4. Berlich. p. 1. Concl. 10. n. 4. Dn. Simon ad Guilb. Grotium c. 7. §. 3. Ziegler. p. 197. Kulp. coll. Grot. l. 2. c. 1. §. 2. Vasquius contro. Illustr. 1. 18. Dn. Thomas. l. 2. c. 2. §. 80. 81. 82. Obrecht. de Necess. defens. c. 1. n. 23. Zoannetus p. 1. defens. c. 1. n. 23. Farinacius in pract. crim. q. 125. t. 14. Kremberg. de necessar. defens. qu. 3. per tot.* Cum igitur sine tali extremo medio, jus illud, quod a natura constitutum, aliter defendere non possumus, quin cum fortissimū id reprimentæ malitiæ præsidium sit, is sane, qui permittente jure quid facit, injurius haud dicetur. *Dn. Albert. in compend. I. N. c. 3. §. 13. p. 82.*

*Non impedit legem  
hanc scrupulus con-  
scientiæ.*

§. IV. Neque scrupulum quendam huic sententiæ injiciet, quod parem jacturam videatur face- re humanum genus occiso in vase, quam si ipse pe- ream; & quod utique perdendus sit mei similis, qui- cum ad colendam vitam socialem adstringor, & quod majores turbas videatur parere violenta de- fensio, quam si vel fugam arripiam, vel corpus pa- tienter in vasori præbeam. Sed imputet utrobivis læsus suæ pravitati, quæ mihi isthanc necessitatem imposuit *Pufend. de Offic. Hom. l. 1. c. 5.* qui hoc casu occidit, non solum impunitatem in foro, sed & ifnu-



immunitatem habet id conscientia: pluribus hoc ostendit & mores forte adversantes explicat *Pufend. II. 5. §. I. conf. Treut. disp. pand. 1. th. 4. Gail. I. O. no. n. 16.*

§. V. Sed & interpositos infantes, senes, sanos aliosque qui fugam, sine qua mors evitari non potest, impediunt, licite transfodere possumus, medium enim illud est, sine quo aliter me defendere non possum, neminique jus defensionis, quod in hoc casu præponderat, auferendum, male vero contraria sententia ex lege dilectionis derivatur, quippe quæ non ad jus sed virtutem pertinet, neque casus hic est, quo proximus nobis æquatur, sed quo præfertur, neque ex virtute obligamur ad id, quod in potestate nostra non est.

§. VI. Qui assistendi causa intervenit, socius est invasionis, quare quod in invadentem, idem in assistentem licitum, imputaturo sibi altero, quod in illicita re alteri succurrerit, qui casu intervenit, occidit nequit, punitur autem in vasor.

§. VII. Defensio autem hæc, quæ cum alterius internecone conjuncta, periculum præsens & quasi in puncto requirit, neque ante incipit, quam omnia media fuerint præclusa, ita, ut præoccupari facinus impossibile sit. Et quanquam innocentibus in providentia divina magnum sit positum præsidium; nequicquam tamen sibi miracula cœlitus pollicetur, qui in torporem resolutus suarum rerum ipse non fatagit. Prudentis itaque judicis est, probe circumspicere, utrum quis fugere potuerit nec ne, non tamen

*Interposita  
persona  
heic recte  
occidun-  
tur.*

*Quid juris  
in assisten-  
te.*

*In defen-  
sione peri-  
culum ex-  
tremum  
requiritur.*

tamen præcise necessitas physica sed moralis saltem sufficit, ut homo putet se aliter evadere haud posse, quod si igitur quis tuto salvoque corpore fugere possit, is fugere debet, quia fugiendo nihil amittit, damnum quoque per fugam illatum facile reparari potest; secus quoque id erit, si fuga apprehensa infamiam incurrat. *Grot. §. 5. Pufend. de Jur. Nat. & G. l. 2. c. 5. §. 6.*

*Eadem ratio in defendendis membris,*

§. VIII. Quod pro defensione vitæ, idem & pro defensione membrorum conceditur, nam & natura a mutilatione & gravi læsione maxime abhorremus, & mutilatio membri præcipue nobilioris, quandoque non multo minoris quam ipsa vita æstimatur. Quin in antecessum non constat, an non ex mutilatione ac vulnere mors sit secutura *Puf. de Offic homi. d. c. §. 14.* Vulnere subinde ad mensuram non dantur. *conf. l. 6. C. ad l. jul. de vi publ. l. 38. §. 5. ff. de pæn. l. 15. ff. ad LL. Cornel. de sicariis Carpz. qu. 1. n. 28.*

*Quid juris in periculo pudicitia.*

§. IX. Quod pro vita, id & pro pudicitia licere judicatur, quippe cum nulla major contumelia honestæ fæminæ inferri queat: quam si quis invitæ eripere aggrediatur, cujus integritate ejus sexus maxime æstimatur, & efficiat, ut hosti ex suo sanguine prolem suscitare cogatur, omnino gravissime peccare censetur. Accedit & id, quod corpus medium aliquod sit propagandæ divinæ speciei, qui actus, uti ex actione creatoris apparet, sanctus, certisque legibus, ut scilicet per nuptias fiat, definitus est: quin pudicitia major quam ipsius vitæ ratio habenda, cum injuria exinde resultans non solum nos, sed & poste-

posteror nostros afficiat, intelligendum vero hoc non de qualicunque pudicitiae invasione, sed de violenta prostratione. *Tabor. de abusu armor. in defens. bon. c. 5. n. 18. Seld. 4. 3. lex Wisigothorum l. 3. t. 3. c. 6.*

§. X. Post violatam pudicitiam mors licite non infertur, fieret enim id non defendendi, sed ulciscendi gratia. Pudicitia autem vel animi vel corporis est, illa habitus custodiendi se ab improba libidine, hæc corporis ab illicita commixtione puritas *qu. 5. c. 32. per tot.* Hæc, non illa, cogi potest, *add. Pufend. II. l. 10. Thomas. l. 2. c. 2. §. 114.*

*Pudicitia violata mors non licite alteri infertur.*

§. XI. Qui invasus occidi quam occidere vult, in legem creatoris peccat, Deus enim sui causa hominem creavit, quare violaretur hæc inmutabilis Dei voluntas, si sua sponte homo vitæ finem abrupte, nec mediis a natura indultis uti velit, bene inquit *JCius in l. 13. ad L. Aquil.* nemo membrorum suorum Dominus, quod vel ipsa creatoris actio evincit, dum hominis animam & corpus conjunxit, quod proinde creatoris opus homo non dissolvit. Quia dimoveretur anima divina ista particula divinique imago numinis a sua sede, in hanc vero nihil profus juris quis habet, hoc vinculum quoque nemo nisi Deus disrumpere potest. Neque obstabit, quod alter, dum in periculo mortali extinguitur, periculum damnationis incurrat, verum in hac decretoria pugna non est otium hæc examinandi: ne dicam, quod isthæc sententia majorem tribuat favorem improbitati, quam pietati, dum per illam quis velut inviolabilis redditur? tandem, qui rite se defendit,

*Qui invasus occidi quam occideremavult, peccat.*



non hoc directe agit, ut alteri noceat, sed ut se conservet. Nec qui propulsat malum injuriam facit, sed qui infert. Quin tamen ille, qui per mortem suam majus bonum procurat, rem omni laude dignissimam fecerit, negari haud potest. Itaque gloriosum pro patria, pro principe veluti persona multis utilij mortem subire *Andr. a Matre Dei Theol. Moral. Tr. I. c. 2. de Restit. Punct. I. § 3.* sed hæc omnia de humanitate nullo ad id vinculo juris stringente intelligi debent *Grot. l. II. c. 1. § 9. Illustr. Stryk. disp. de jure hominis in se ipsum c. 3. §. 27. disp. nostr. de J. hum. c. 1. §. 14. Quædrat huc illud Lucani l. 5. quod citat. Pufend. l. 2. c. 5. §. 14.* cum tot in hac anima populorum vita salusque pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis, sævitiæ est voluisse mori.

*Idem in eo  
qui radio  
molestiarum  
vitam ab-  
rumpit,*

§. XII. Qui autem vel tædio molestiarum, quæ vitam humanam communiter comitantur, vel indignatione malorum, vel metu dolorum, queis toleratis exemplo suo prodesse aliis poterant, vel per vanam jactantiam fidei aut fortitudinis vitam ultro abrumpunt, & projiciunt, utique in legem naturæ peccare sunt censendi. Ab hoc excipimus illos, si qui videant, se in opprobrium Dei victuros, & qui cæde sua majus bonum promovent, tunc enim cædem talem non modo licitam, sed gloriosam reputamus *Conf. I. Samuel. 31. 4. Grot. de jur. Bel. P. l. 2. c. 19. §. 5. Thomas. l. 2. c. II. §. 70.*

*An alapa  
cui internecio-  
ne alterius decli-  
nari possit?*

§. XIII. Alapa vero cum internecione alterius stricto jure videbatur declinari posse. Neque enim ad dolorem, quem hæc infert, sustinendum cogi potest

test alter, quin ex Grotii sententia, qui injuria me afficere parat, is jus seu facultatem mihi dat in infinitum adversus ipsum procedendi. Tutius vero & humanius erit, ad hanc declinandam vel fugere, vel famam ita læsam reparare, cum levis insuper hæc injuria sit, quæ a judice facile reparari poterat. Damnamus insuper mores istos, ubi is, qui alapam accepit, pro infami habetur. *Conf. Maurit. de Princip. Jur. publ. p. 47. tb. 5. Grot. lib. 2. c. 1. §. 10. Puf. lib. 2. c. 5. §. 12.*

§. XIV. Defendi res usque ad cædem invasoris possunt, modo non res sit ejusmodi, quæ contemni mereatur. Nam citra res utique vita nostra servari nequit, & æque hostilem animum declarat qui res, quam qui vitam per injuriam impetit. Quin quæ inter rem & vitam est inæqualitas, ea favore innocentis & furis odio compensatur, apertumque est, securitatem ac tranquillitatem societatis civilis ac generis humani subsistere nullo modo posse, ni potestas sit raptores rerum, quas utique magno amore prosequuntur mortales, per extrema coercendi. Si tamen is, qui res nostras ereptum venit, in judicium adduci, aut alias vel acclamari vel apprehendi possit, illicita hæc cædes erit. Imo longe virtuosius quis fecerit, qui potius res suas deserit, quam hominem interficit, hominem inquam ad Dei effigiem formatum, & eodem nobiscum sanguine ortum, seu communi cognationis vinculo conjunctum *l. 3. de F. & F. add. Tabor. in Arment. Justin. cap. 2. n. 11. diff. Alb. d. l. c. 3. §. 28. 30. Ericus Heideman, disp. pand. 1. tb. 13.*

*An res nostras cum internecione alterius defendere possimus,*

§. XV.

*An idem  
teneat si  
fama fu-  
erit laesa.*

§. XV. Cum vero vita & fama pari passu ambulare l. 8. §. 2. *quod metus causa. l. 9. ff. de manum. vind.* Quin ille qui famam negligit crudelis dicatur, *in c. non sunt audiendi. ii. qu. 3. & in c. nolo. 12. c. 1.* Et ad honores consequendos, magistratus obeundos inutilis reddatur, id quidem indubium est, hanc esse naturæ regulam, ut bonam quis famam tueatur, eamque læsam vindicet, non licebit autem alterum propter sparfam de se calumnias interficere. Honor est æstimatio seu taxatio virtutis, quæ quia publice non patet, aliorum indiciis ostenditur, eoque & augeri adulatione, & minui calumnia potest, recteque adeo defendi. At si tam illustis sit & excellens virtus hominis, ut ex ipsis factis egregiis publice appareat, non pendet ab aliorum indiciis, hinc hoc spernere semper heroicum visum. Christianorum veterum vox erat, pusilli esse animi, contumeliam ferre non posse, quin ex Grotii sententia falsa quædam ignominie opinio, aspernenda ab omnibus iis, qui virtutem & sapientiam sectantur. *Grot. d. l. §. 10. Pufend. diss. de existim. passim.* Quamvis itaque verum quidem sit, famam acquiri, conservari, defendi sola & unica virtute, vitæ integritate, ac morum probitate, & non nisi propriis vitiis & actibus inhonestis amitti l. 13. §. 3. *de re milit. l. 6. §. 2. ff. de his qui not. infam. l. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit.* Sed quia non parum vulgi opinione & testimonio juvatur, & secundum illud vulgatum, calumniare audacter, semper aliquid hæret, coram hominibus istam aliquo modo violari, & sic recte vindicari ne-

mo-





mo negabit. *Lauterbach, vol. 1, disputat. de act injur. recant. §. 18.*

§. XVI. Apparet igitur, cum nullam homo circa vitam suam habeat potestatem, duella & provocationes susceptas contra legem naturæ esse, natura aliud remedium scilicet magistratum, injuriam reparaturum, constituyente. Quin nulla nisi extrema necessitas, sine qua vita nostra, uti supra diximus, salva esse nequit, cædem alterius permittit, sed quæ in susceptis temere duellis necessitas? Qui vero in duello comparet, in extremum vitæ, quæ tamen in ejus potestate non est, periculum semet conjicit, neque leges, ut 2. *F. 27. Longobardorum, Bajuuv. tit. 2. c. 1. §. 2. conf. den Schwaben Spiegel t. 1. c. 170. seqq. Goldast. in denen Reichs-Satzungen p. 2. f. 58. Lindebrog. Gloss. voc. Campus, campio* obstabunt. Quippe quæ ex depravato unius alteriusve populi sensu tenebant, & contrario usu abolitæ deprehenduntur. Ipse imperator Fridericus I. maximus & Christianissimus in *d. 2. F. 27.* constituit, occisorem capitale puniri, nisi per duellum probare possit, quod vitam suam defendendo illum occiderit. Et Henricus II, in *lib. 5. F. const. 2.* ut felonix ab aliquo parium postulatibus per pugnam se defendat edicit. Canones malo huic, rejecta tali per duellum probatione, remedium attulerunt *conf. c. 7. c. 20. c. 2. qu. 20.* agnitumque tunc demum fuit, non esse hoc Dei judicium, sed Dei tentationem, ut dicitur in *c. f. X. de purg. & c. 7. c. 2. q. 5.* & vera homicidia publice probata, adeoque & sanguinem hunc publice luendum *Conf. Dn. Coccej. disp.*

*Duella  
contra jus  
N. sunt.*

*diff. de probat. feudali c. 2. §. 1. ubi hanc consuetudinem ferinam vocat.* Duellis eradicandis efficacissimum remedium se invenisse dicit *Mendo in statera opinionum benignarum in controuv. moral. dissert. 1. qu. 21. §. 5. n. 274.*

*Quaestiones  
politica &  
ethica.*

§. XVII. Cæteræ quaestiones huc referri solitæ ex genuinis ethicæ politicæq; principiis optime deducuntur, ut scilicet homo iis, quæ in sua potestate sunt, optime & ad præscriptum rationis utatur, ut actiones suas, ubi prudentiæ humanæ locus, cæcæ non committat alicui, ut non ab eventu actionum, prudentiam & justitiam tam suam quam alienam, æstimet, ut a proposito recte formato per metum aut voluptatem se non patiatur abripere, ut in præsentibus securitatem, circa futura nimiam curiositatem evitet, ut in secundis rebus insolentiam, in adversis desperationem fugiat, ut omni studio opinionem boni viri conservet, ut ex factis præclaris & generi humano proficuis solam famam quærat, ut honore utatur ad benefaciendum aliis, ut ab arrogantia & & vana gloria abstineat, ut æquo animo ferat, si occasio deficiat præstantiam suam exercendi. Ut sua sorte contentus vivat, & reliqua tanquam nihil ad se pertinentia adspiciat. Ut in comparandis opibus innocentem industriam exerceat. Ut paucis sit contentus. Ut partis utatur tanquam subsidiis necessitatis propriæ & benefaciendi aliis. Ut animum adsvectat, ne amissis opibus coincidat, ut doloribus non necessariis abstineat, ut delectationibus sensuum fruatur modice, ut affectus suos in potestate habeat, ut



ut lætitia non utatur super alienis malis aut reb<sup>9</sup> ineptis, ut tristitiam exterminet, nisi quatenus ad misericordiam & pænitentiam ea habet opus, ut objectum dignum & honestum ita amet, ne aliis officiis remoram injiciat, neve eo amisso morbus oriatur, ut odio hominum & invidia plane vacuus sit, ut spe super rebus vanis, incertis & impossibilibus non frustra se fatiget, ut metui & iræ, tanquam affectibus humanæ menti inimicis ac valde perniciosis, omni studio reluctetur, ut tempestive honestum vitæ genus, secundum impulsus genii, corporis atque ingenii habilitatem, natalium conditionem, fortunæ bona, parentum autoritatem, imperantium civilium jussu, occasionem aut necessitatem eligat, ut studia literarum non rejiciat, tanquam quæ hominem ineptum reddunt ad negotia pacis & belli, sed potius iis innatam bonam indolem perficiat, ut tamen non inanibus literis operam det, sed utilibus & elegantibus, ut studia ad usum vitæ humanæ attemperet, non temporis fallendi gratia, & cum neglectu aliorum officiorum iis se immergat, ut rationem magis quam autoritatem sequatur, & pertinaciam erronea defendendi supprimat. *Quæ aliaque plura ex Pufendorfio satis eleganter collegit Dn. Thomafius l. 2. c. 2. §. 34. seqq.*

CAP.



## CAP. IV.

DE

*Jure Connubiali.*

§. I.

*Societatis  
humana  
fundamen-  
tum est  
matrimo-  
nium.*

**D**Ari inter mortales ardentissimum ad societatem ineundam stimulum, eumque, crescentibus indies necessitatibus, augeri, extra controversiam late positum videtur. Demonstrat id, utalio staceam. *Grotius de I. B. & P. in Proleg. §. 7. & 8. Pufendorff. de I. N. & G. l. 2. c. 2. per tot. Vitriarius institut. jur. Nat. in proleg. qu. 3.* Societatis humanæ fundamentum est matrimonium, quod ipsum etiam est primū velut specimen vitæ socialis, simulque generis humani seminarium; ad hoc ineundum sapientissimus Creator flagrantissimam sexuum inter se proclivitatem indidit, quæ Naturæ actio ad inanem citoque transituram voluptatem nequaquam spectat; propagatio talis non per vagos & solutos concubitus expedienda; sed utique legibus connubialibus circumscribenda, adeoque per matrimonium duntaxat exercenda. *Pufend. de Offic. Hom. & Civ. l. 2. c. 2. §. 3. Thomaf. Jurispr. div. l. III. c. 2. §. 21.* Multo enim maximum est, quod connubiorum jus ad vitæ humanæ honestatem affert momentum, qui conjungendi actus tanta affectus vehementia animum insultat, ut nisi pudore naturali, rectæ rationi succenturiato, ejus vis sufflaminaretur, in brutorū conditionem homines facile deturbaret.

Dn.

*Dn. Valandus de LL. connub. ex Gent. Jur. §. I. Cumber-  
land de LL. Naturæ p. 119. Pufend. de J. N. & G. L.  
6. c. 2. §. 6.*

§. II. Consequens igitur est Naturali legi repugnare omnem omnino usum membrorum genitalium, qui ab hisce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido in diversam speciem aut eundem sexum ruens, quævis sædæ pollutiones, & denique omnis commixtio sine mutuo consensu suscepta, sive invitæ sæminæ intentata extra matrimonium. Quin brutorum cum hominibus commixtionem gravissime mortalium genus turbare, vel inde constat, quod duplicem natura sexum constituerit, adeoque horrendum illum, a quo & hominum & brutorum instinctus abhorrent, congressum prohibuerit; denique cessat exultatque penitus finis matrimonii, propagatio scilicet sobolis, quæ frustra hic expectatur, nullum subinde gravius crimen, quam semen, quod domicilium homini, divinam imaginem gerenti, præparaturum erat, brutis committere, & ex homine brutum formare, quod crimen adeo nefandum vocat imperator *in L. cum vir nubit.* 31. *C. ad L. jul. de adult.* Ut scire non proficiat. *Conf. Constit. crimin. art. 116. Lev. 18. 20. Exod. 22. 19. Carpz. qu. 76. n. 15. Garcilass. de la Vega comment. Reg. l. 3. c. 31.*

§. III. Nulla propagatio hominis natura licita est, nisi muliere uni viro cohabitare obligata. Sine tali voluntati creatoris attemperata propagatione nullum jus conservari potest, certus enim ex promiscuo congressu pater non deprehenditur, unde

*Sodomia est  
contra jus  
Naturæ.*

*Qualis natura  
aliter  
propagatio  
sit licita.*

H nec



nec educatio, fœmina pluribus nupta, certa, quin nulla hic reverentia, quam tamen liberi naturaliter parentibus debent, nulla successio, nec ipsa adeo familiæ jura certa esse poterunt. Nuptiæ igitur sunt viri & mulieris conjunctio. Hæc obligatur sua sponſione atque consensu, atque hic modus propagandæ divinæ imaginis sanctum quid & inviolabile §. 1. I. de patr. potest. Can. 4. C. 27. de sponsal. Hæc propagatio est societas domestica, quæ constituitur tum propagationis tum mutui subsidii causa. *Selden. lib. 5. Puf. de J. N. & G. L. VI. c. 1. passim. Textor. synopsis. jur. Gent. c. 3. ex lctis conferantur specialibus aliis tractatibus Albericus Gentilis, Tiraquellus, Cypraus, Hotomannus, Brissonius, Kitzelius.*

*Polygamia  
Virilis non  
est contra  
jus Nat.*

§. IV. Patet igitur polygamiam illam, qua una fœmina pluribus cohabitatur, esse contra jus Naturæ, non autem illam, ubi unus simul duas pluresve uxores habet, quæ enim priorem impediabant rationes hic cessant, quin nullibi hæc prohibetur, regula ergo est, ubi non est lex, ibi non est legis transgressio. *Dn. Coccej. Pos. jur. Gent. I. neque aliud est polygamia talis quam multitudo nuptiarum; Ipsi Davidi DEUS imputat & inter beneficia recenset, quod uxores ei complures & quidem illustres dederit Conf. Grot. L. 2. c. 5. §. 9. Pufend. VI. c. 1. §. 16. Textor. c. 3. n. 28. Illustr. Dn. Stryk. ad Inst. tit. de nupt. Habn. tit. de Rit. nupt. n. 43. Strauch. dissert. Just. II. §. 4. Struvius Exerc. 29. 52. Selden. V. 6. Arnisæus de jur. connub. c. 4. Polygamiam hanc non esse prohibitam indistincte docuerunt Rabini, quod pecu-*



peculiari dialogo probare voluit *Ochinus*, quorum argumenta excoluit *Lyserus*, *Ochinum* vero *Beza*, *Lyserum* *Brunsmannus* & *Dickmannus* confutarunt. Argumentis magis speciosis & eruditioribus usus est *Daphneus Arcuarius* in seiner Betrachtung vom H. Ehestand/Ehebruch/Ehescheidung und viel Weibernehmung. In ipsis sacris *Deut. c. XXI. v. 15.* connubiales quædam in Polygamia leges præscribuntur. *Conf. 2. Chron. 24. v. 2. & Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 6. tb. 7. Dn. Herold. dissert. de Polygam. Crusius de iudiciis delict. p. 2. c. 9. n. 10.*

§. V. Certum tamen est, monogamiam perfectiorem, sanæque rationi convenientiorem esse, indeque ab omnibus svadetur, ob discordias tollendas, ob talionis jus, & quod uxor vilis sit ubi plures rivales, ob naturam amicitiae, quæ inter paucos firmior, ob odiorum semina, quæ inter uxores & liberos heic sparguntur, ob Christianismum, qui majorem puritatem requirit, unde hodie ubique fere locorum polygamis pæna gladii dictatur, prout de Germania constat *ex constit. crim. art. III. conf. Dn. Kulpis colleg. Grot. L. 2. c. 5. §. 9.* qui eam jure divino positivo universali non naturali prohibitam vult, quam sententiam quoque tuetur *Dn. Thomafius L. 3. c. 11. §. 201. 202. conf. Dn. Becm. Const. pol. pag. m. 41.*

§. VI. Nequaquam vero repugnat Naturali juri concubinatus aut matrimonium quod ad morganaticam zur sünden Hand dici solet, tales enim similesve minus solennes conjunctiones, utut effectibus juris civilis careant, naturaliter tamen pro veris

*Monogamia L.L. Christianismi convenit.*

*Conjugia ad Morganaticam non sunt contra J.N.*



& essentialibus matrimoniis haberi debent Conf. *Grot. d. c. 5. §. 15. Strauch. ad R. I. diff. 3. §. 13. Coll. Jur. A. tit. de concub. Pufend. VI. 1. 26. Myler. ad Ehrenbach. Gamol. c. 5. §. 19. seqq. Dn. Coccejus Hypomn. jur. Feud. tit. 7. §. 7. & eleganti disputatione de lege Morganatica sect. 5. §. 1. 2. 4.* non levia autem in contrariam sententiam abire videntur argumenta, quod scilicet matrimonio ea sit forma data, ut sit consortium omnis vitæ & communicatio omnis divini humanique juris, quod familiam sequitur *l. i. ff. de R. N.* quæ aliaque quam plurima jura liberi non a parentibus, sed ipsa naturali lege consequuntur, accedit hoc esse Naturæ suffragium, ut conjugia æqualia, liberi sint æquales: verum cum hæc permixtivi sint juris, ita facile introduci potuerunt, dignitatum enim omnium distinctio penes principem tanquam fontem omnis potestatis dignitatisque est. *Reinking. L. 1. class. 5. c. 2. n. 4. Petr. Heig. P. 1. qu. 2. n. 8.* Qui proinde legem illis dicere, & cui tribuendæ sint, statuere potest.

*Concubinarum tres species.*

§. VII. Concubinarum vero tres species commode distingui possunt; UNA, Cum fœmina tantum ad tempus in concubinatum assumitur: Qualis concubinatus temporarius & diserte ad tempus restrictus jure communi quoque illicitus *c. 5. caus. 16. q. 2.* talisque conjunctio potius pro fornicatione, quam pro concubinatu habetur. *Nov. 18. c. 5. Nov. 89. c. 12. §. 5.* ALTERA, cum fœmina ita in concubinatum accipitur, ut mutuus sit invicem non deserendi & cum aliis non cohabitandi affectus. Atque iste & jure civili





vili licitus est *l. 5. C. ad Sc. Orphit. t. t. ff. de concub. Nov. 18. c. 5. Nov. 89. c. 12. & 4. & Jure Canonico c. 4. c. 5. dist. 34. c. 12. Caus. 32. qu. 2.* Sed & naturali jure permissum eum esse defendit *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 15. & post. eum Strauch. ad jus Just. diff. 2. aphor. 24. & Instit. Jur. publ. l. t. 34. §. 4.* TERTIA species est, cum concubinatui hujusmodi accedit, specialis aliqua & corroborata vis obligandi, ita ut ab invicem recedere non possint. Accedere autem illa vis potest statutis vel moribus locorum. Quæ pluribus rationibus demonstrat *Dn. Coccejus dict. disp. de lege morgan. Sect. 4. §. 3. 4. 5. 6. 7. 8.*

§. VIII. Præceptum de ineundo matrimonio Universos, non singulos stringit. Singuli ad matrimonium ineundum tenentur, quando commoda sese ejus occasio offert, quam tamen non sola ætas generandique facultas absolvit, sed ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem nascituram, ac ut mas quoque sit idoneus ad gerendam personam patrisfam: *Puf. de off. Hom. d. l.* Stultum enim foret, juvenes animo ad matrimonia applicare, qui sibi suisque non nisi strenuam esuritionem possint polliceri, ac civitatem mendicabilis sint impleturi *Thom. d. c. §. 54. 55.* Grotius *l. 2. c. 2. §. 21.* cælibatum non nisi excellentibus animis convenire inquit. Excipiendum tamen heic, si in summam reipublicæ utilitatem ob defectum virorū lex de conjugio ineundo feratur, quod licite fieri posse autumo, pertinet huc famosa illa *lex von denen Hagestolßen*/de qua aliisque sat bene disserit

*Calibatus non est contra jus N.*

serit *Schottelius de singularibus quibusdam in Germania juribus: de moribus Hebræorum conf. Seldenus L. V. c. 3. Leo Mutinensis de Ritibus Hebr. p. 4. c. 2. Charon. de la sagesse L. 1. c. 46. Baco Sermon. fid. c. 8.*

Jus fami-  
lia

§. IX. Ex arctissima hac viri & mulieris conjunctione nascitur familia, in familiam adsciscuntur famuli, & nascuntur liberi. Singulis familiæ membrorum natura competunt propria jura, marito quoque jus in ipsam uxorem competit, cum in subsidium mariti nata, ejusque socia sit & instrumentum propagandæ sobolis, ut adeo matrimoniale debitum exigenti parere debeat: accedit, quod ut plurimum masculin<sup>9</sup> sex<sup>9</sup> longe capacior sit fæmineo sexu, tam ratione virium corporis, quam facultatum animæ, neque unum alterumque exemplum in contrarium hanc sententiam destruit, vitiumque eo in casu in individuo, non toto sexu deprehenditur, ut adeo, si inter se contendant, recte Grotius decidat, ob sexus præstantiam patris imperium præferri. Imperium illud ex sexus præstantia *Arniseus*, ex divina concessione *Hornius pol. 1. §. f.* ex consensu consociationis deducunt *Böclerus ad Grot. p. 181. Veltbus. d. tr. p. 207. Pufend. VI. 1. 9.* amplitudo ejus ex fine societatis metienda, non ad jus vitæ & necis extendenda, quod *Hornius* putat *pol. 1. 1. 5.* refutatus ab *Epsteinio p. 97. quem Dn. Kulpis allegat. d. l. conf. Gen. 16: v. 2. 5. 6. XXI. 10. 11. 12. I. Pet. v. 6. Euripides Medea v. 230. Lex Wisigothorum l. 4. t. 4. c. 3.*

Fons patriæ  
potestatis.

§. V. Utrique & masculo & fæminæ competit jus in reliquos. Fons patriæ potestatis non est ex jure



jure victoriæ, uti *Hobbesius de cive c. 9. §. 2. late a Kulpisio Colleg. Grot. c. 5. §. 1. refutatus*, non ex alimentatione parentum & præsumpto liberorum consensu, uti *Pufendorfius de J. N. & G. VI. 2. 4. statuit*; illius sententia ex falso illo principio resultat, quod bellum omnium in omnes detur, quod autem figmentum est, neque hic aliqua pugna, ubi ergo victoria manebit? Plures rationes *Dn. Kulpis* affert §. 1. Hujus vero sententia velideo non admittenda, quod nullus omnino neque tacitus neque præsumptus sit in liberis consensus, nam non potest in ullo subjecto præsumi consensus tacitus, in quo per naturam non est locus expresso *l. 2. ff. de N. G.* neque patria potestas ex generatione est, uti *Grotius* putat; parentes enim domini viscerum esse nequeunt; quin nemo sui ipsius dominus est, dominium hominibus non in homines, sed in res datum; neque est ex jure seminis, semine jamdudum ejecto.

§. XI. Jus & officium educandæ prolis a natura est, neque enim sine educatione genus humanum subsistere potest, natura voluit, ut infantes fiant maturi, at cum impossibile sit ut id per se efficere possint, per alios id fieri oportuit; sine educatione frustra editus homo, frustra ei lingua concessa, frustra terra creata. Educare est perducere partem ad suam maturitatem, maturus intelligitur partus, quando naturalem illam, quæ generantibus inest, facultatem accepit. At eodem hoc jure, multiplicato humano genere inventisque tot artibus, longius paulo ejus terminus extenditur, nam nec sola generandi, sed & se suaque bene-

ad-

*Jus educandi a natura est, cuius id competit.*



adminiftrandi facultas inſpicitur *Conf. elegant tract. Dn. Eichelii de jure Naturali parentum in liberos & borum in parentes. Seld. VII. 2. Pufend. VI. 2. Textor. Synops. Jur. Gent. c. 7.* Juſ hoc educandi natura utri- que parentum injunxit, idque eſt patria poteſtas, apparet hoc ex inſtinctu naturæ, quem condidit in parentibus. Hæc educatio a certa proinde perſona fieri debuit, at quæ ratio ut extraneuſ eam expedi- ret! natura equidem parentes facultate generandi vel ideo inſtruxit nō tantum ut ſpecies producat, ſed etiam ut conſervetur, & quaſi æternaret propa- gatione: quare educatio nihil eſt aliud, quam gene- rationis continuatio, ejuſque quædam τελειωσις. Deinceps plena perfectaque ſpecies debuit conſti- tui, quod cum in utero matris alias perituræ contin- gere non potuit, ideo hoc officium & patri & matri competit *Dn. de Prinzen diſp. de tutel. perſon. Illuſtr. Sect. 1. §. 3.*

*Officium  
parentum  
& libero-  
rum.*

§. XII. Hi ſunt patriæ poteſtatis fontes, qui pa- tri juſ dant, omnia iſta agendi, ſine quibus partuſ commode educari non poteſt, inde omneſ libero- rum actioneſ directioni parentum ſubjacent. In hoc vero officium parentum conſiſtit, ut libereſ commode alant, corpusque & animum per dextram educationem ita forment, quo idonea & utilia ſocie- tatiſ humanæ membra ſiant, probi, cordati & bene morati. Filiuſ contra tenetur 1. ad parentum, & 2. perpetuam reverentiam, quo nomine liberi non externiſ tantum ſignis, ſed multo magis interna de- vota que æſtimatione parentibus, veluti vitæ ſuæ auto-



autoribus, à quibus tot infinita in ipsos collata, quæque rependi non possunt beneficia, obedire debent.

§. XIII. Uterque conjux tenetur alere liberos, non maritus uxorem, nisi se ipsam exhibere nequeat, mater enim in officio alendi active concurrat; nuptiæ etenim modus sunt propagandi, non aliquid acquirendi, nuptiarum fundamentum consensus est, atque sub isto consensu non continetur, ut alimenta præstentur, accedit, quod cessante hæc dispositione neque maritus in uxoris, nec hæc in mariti bona jus quicquam habeat. *Conf. sed aliter hoc decidentur Bæcler. p. 158. Inst. Pol. l. 2. p. 29. Felden. p. 165.* Si vero conjux plane sit inops, nec se ipsam exhibere possit, tunc tale alendi onus ex officio mariti familiam tuituri fluit. Naturaliter igitur utriusque bona sunt separata, quod cum multas pareret difficultates, recte jure civili jura dotium sunt constituta. *Conf. t. t. ff. de l. dot. & quid nomine alimentorum veniat l. 4. ff. de agnosc. vel alend. lib. Pufend. IV. n. 45. Eichel. p. 1. §. 26. seqq. Peretz. ad t. C. de alend. lib. n. 20.*

§. XIV. Repugnat itaque naturali juri non solum abortum procurare, sed & infantem recens natum exponere vel abjicere, siquidem finem societatis hujus id prorsus impedit tollitque, hinc homicidii pænam quoad abortum olim jam statuit *Synodus 6. in Trullo c. 91. vid. Eichel. p. 1. §. 15. Strauch. diff. Inst. XXIX. §. 8.* Neque dissentientes mores & leges magis justæ sunt, quam illæ, quæ jus vitæ & necis absolutissimum concesserunt *conf. l. n. de lib. & posth. l. ult. C. de patr. potest. Cesar. de B. G. VI. 19. aliique*

*Maritus  
naturaliter  
uxorem  
non alit.*

*Abortum  
procurare,  
infantes  
exponere  
nefas est.*



naturaliter enim hoc jus patri, sive ut familiae segregis capiti, ne quidem occasione delicti competere verius mihi videtur, frustra cum *Zieglero & Hornio* dissentiente *Pufend. VI. 2. II.*

*An Oppignoratio liberorum valeat?*

§. XV. An liberos oppignorare vel vendere liceat, affirmat *Grotius*, negat *Feldenus*, in utramq; partem disputat *Eichelius p. I. §. 22. 23. 24.* Utrumq; extremo necessitatis casu optima ratione fieri potest, alteri vero jus aliquod constituitur utendi servitio filii; cum quo ipso sententia juris civilis congruit *vid. l. 2. C. de patre qui fil. distr.* quæ hoc prohibuerunt edicta *Theodorici*, *leges Wisigothorū*, aliorumq; de aliis casib<sup>9</sup> loquuntur.

*Naturaliter duo sunt tempora puberum & impuberum.*

§. XVI. Duo sola tempora sunt, quæ natura juribus distinguit puberum & impuberum, reliqua ex instituto, uti & tempus quo filius familia exit. Pubertas naturaliter ex potestate generandi, quando quis cum judicio rebus suis præesse, easque cum fructu moderari potest, metienda, illud tempus, cum in uno citius, in altero tardius contingat, ita certus ejus terminus naturaliter definiri haud poterat, qui tamen ut definiretur publico valde intererat. *disput. nostr. de contract. summ. pot. c. 3. §. 2.* Impuberibus omnia jura integra competunt *Dn. Coccej. Pos. jur. Gent. 5. n. 1.* administratione ob immaturum adhuc intellectum aliis relicta, quare ob cessans adhuc judicium nec obligantur ex contractu, nec acquirunt natura, *ex dolo* tamen, si prohibitum intelligant, obligantur, dolus enim involvit animum nocendi, qui cessat, si ignarus quid tale commisit, *ex culpa* verotum tenentur, si illa ex depravatione morum, non si



fi ex naturali defectu & imprudentia, quæ in impuberibus videtur naturalis, ortum trahat. Tria tempora facit *Grotius d. c. 5. §. 2. 3. 4. 5.* & qui eum sequitur *Pufend. VI. 2. 7.* & *de off. II. 3. 5. seqq. Eichel. p. II. §. 89.* distinguit *Zieglerus* putatque tempora non debere distingui, quia ubique liberi debeant obedientiam, refellit hunc *Dn. Kulpis n. 2 in f.* sed nec id in quæstione, nec dubium erat.

§. XVII. Reverentia ista, quam liberi parentibus debent, nequaquam impedit, quo minus liberi citra parentum consensum nuptias inire possint, siquidem hoc jus omnibus hominibus, imo & ipsis brutis concessum. Filius enim qui nuptias contrahit, exiit naturaliter ex potestate sui patris, neque etiam sub potestate educandi continetur per naturam consensus parentum in matrimonia liberorum; Hoc jus post pubertatem unicuique concessum natura impediri nequit, & cur non in emancipatis & ipsius matris consensus heic requiritur? apparet, igitur, meri juris positivi esse parentum consensum in nuptiis filiorum requiri, cum filius invito patre non poterat uxorem in ejus domum ducere, ne ipsi invito agnascatur suus heres *Diff. Eichel p. I. §. 37. 38.* & *p. II. §. 18. Gerhard. de conjugio n. 62. Carpz. Consist. II. 3. 39.* & singulari libello *Andreas Pubveus.* Jure quoque naturali tale matrimonium ratum esse comprobatur nobiscum *Grotius d. c. §. 10. Pufend. Elem. I. 13. 20. Oper. Maj. VI. 2. 14. idem Grotius de offic. summ. potest. circa sacra c. 5. n. II.* pietatis quidem honestatisque summæ erit, parentis consensum heic adhiberi, quod

*Naturaliter in nuptiis liberorum parentum consensus non requiritur.*

jus canonicum in *C. aliter c. 30. qu. 5. Can. nostrates c. 30. quest. 5. can. honorantur 13. c. 23. qu. 2. Habn. & Lauterbach. tit. de Rit. Nupt. docent. bene Grotius d. §. subjungit, solum autem reverentiæ officium non efficit, ut nullus sit actus, qui ei repugnat.*

*Tutela non est juris N.*

§. XVIII. Deficientibus vel morte sublati parentibus, filiis adhuc impuberibus magistratus videlicet communis parens consulit. Tutela enim non est juris N.: Generalis enim juris Nat. regula est, neminem habere facultatem & potestatem J. N. in alium, nisi vel ex jure imperii, vel ex societate domestica. Unde omnino sequitur, tutorem quoque jure Naturali nullam prorsus in pupillum, qui est extraneus, & ejus imperio nullo modo subjectus, habere facultatem, non infringit hanc sententiam, quod ipse imperator in *§. p. I. de Attil. Tut.* asserat, naturali juri conveniens esse, ut is, qui perfectæ ætatis non est, alterius tutela regatur; aliud enim est, an quid J. N. conveniens, aliud an ex J. N. originem trahat, eoque definitum sit, per naturam nihil aliud quam naturalis inibi æquitas indigitatur. Optime vero saluberrimeque legibus provisum est, ut parentibus defunctis, ne impuberes omnique fere solatio destituti inevitabilem sentiant jacturam, constituentur Tutores, alibi quoque *die Weissenheuser constitutæ. conf. Christ. ad LL. Mechl. tit. 19. art. 1. in primis Dn. de Prinzen. disp. de Tutela. personar. Illustr. sect. I. §. 4.*

*Divortia naturaliter concessa.*

§. XIX. Cum utriusque consensu matrimonium ineatur, ita utriusque quoque dissensu dissolvitur,





tur, quilibet enim ita de jure suo, quod mutuam cohabitationem involvit, disponit; præclare ait *Jctus in l. 35. ff. de R. I.* nihil tam naturale, quã eo modo rem solvi, quo colligata est, secus vero id erit, si unius saltem consensus accedat: neque hic obstabit salutare Christi præceptum, quippe quod virtutis non juris; loquitur textus apud *Matth. V. v. 32.* de divortio privata non publica autoritate facto, quin nec quærebatur ibi de utriusque consensu, sed ea saltem quæstio erat, an maritus invitæ mulieri repudium mittere possit? atque hæc quoque Christianorum veterum sententia fuit *conf. l. 8. C. de repud. l. 8. §. 2. & 3. l. 9. C. eod. Nov. 22. Nov. 117. c. 89. Bézà de divort. p. 231.* optime tamen Christianis positivisque legibus hæc restringuntur, & ut non nisi in casum adulterii & malitiôsæ desertionis matrimonia dissolvantur, bene statuitur, quin & in hisce duobus casibus matrimonium de Jur. Nat. dissolvitur, praxi hodierna plures matrimonium dissolvendi causas admittit. *Conf. Selden. de uxore Hebraica l. 3. c. 6. 7. Lact. div. Instit. l. VI. c. 23.* Pulchre ait *Pufendorf. VI. §. 20.* ut matrimonia citra gravissimam causam consensu mutuo dissolvantur, indecens utique & noxium est; cum per istiusmodi divortiorum licentiam non possint non & familiæ, & publicus civitatum splendor gravissime convelli. *Johannes Miltonus de divortiiis.*

§. XX. Tametsi unicuivis nuptias celebrandi licentiam natura indulserit, dantur tamen casus, ubi natura certas prohibet personas, quæ invicem  
nuptias

*Non indistincte nuptias celebrare licet.*

nuptias celebrare non possunt, quæ conjugia contra jus Gentium sc. primævum fieri dicuntur. Et cum nulla fere materia pluribus cavillationibus sit obnoxia ac præsens, putem omnino tutiorem esse sententiam, quæ in pluribus cum *Lev. 18.* convenit, & cui quis rite informatus, ponderatis probe rationibus, assensum præbebit, utut quidem ex lumine naturæ aut rationis hæc non adeo promptè constet, aut mathematicis rationibus investigari possit. Satis caute inquit *Grotius d. l. 2. c. 5. §. 12.* Nam causas certas ac naturales, cur talia conjugia, ita ut legibus aut moribus<sup>9</sup> vetantur, illicita sint, assignare qui voluerit, experiendo discet, quam id difficile, imo præstare non possit. Talisque heic norma & jus ponendum, quod, ut Michaël Ephesius loquitur, apud plerisque non corruptos sed naturæ convenienter se habentes obtinet. Prænotamus autem, quod 1. corpus filii naturaliter sit vera pars corporis paterni & materni, quippe ex semine patris & sanguine matris constans. 2. Corpus nepotis non est pars corporis aviti, illud enim semen, ex quo nepos compositus, pater ex avo in hunc mundum non attulit, sed longo demum annorum cursu comparavit. 3. Membris ad generationem factis naturalis quidam pudor inest, eadem enim sunt partes, ex quibus homo naturaliter generatur, eademque sunt, ex quibus fordes emittuntur, de quo naturali pudore pereleganter egit *Velthufius* 4. Ex intentione naturæ in negotio generationis mas & fæmina unum integrum constituunt, ex quo homo nascitur, genusque humanum.

pro-



propagatur *Conf. Grot. §. 13, 14. Puf. VI. 1. 33. Bœcler. p. 168. Ziegler. p. 267.*

§. XXI. His præsuppositis dicimus nuptias inter liberos & parentes naturaliter prohiberi, repugnaret enim ejusmodi conjunctio reverentiæ parentum quæ immutabilis, cum parentes liberis sint Dii, queis illibatum sanctumque cultum debent, quicquid ergo contra hanc reverentiam, id ipsum omnino contra jus Nat., pugnat insuper cum sanctimonia liberorum, si istæ corporis partes, ex quibus excrementa non tantum abeunt, sed & ipsi originem traxerunt, detegerentur, contraria enim sunt venerari aliquem, & tamen miscere se ejus obscœnitati: Sicut enim Deus ex creatione maxime est venerandus, sic proxime post eum corpus, ex quo secunda vice sumus creati. Bene Paulus *Jctus in l. adoptivos §. serviles ff. de R. N.* inquit, in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudorem inspiciendum, addit contra pudorem esse, filiam ducere uxorem, unde Grotius, quod tamen nostrum non facimus, in ipsis affectibus insitam fugam quandam commixtionis cum parentibus & ex se natis esse, & ab his bruta quoque animantia naturaliter abhorreere dicit. Consequens autem in hisce nuptiis est, quod, si neptis cum avo suo nuptias contrahit, fieret mater sui proprii parentis, quin nec maritus, qui superior est lege matrimonii eam reverentiam potest præstare matri, quam natura exigit, nec patri filia; quia quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matrimonium talem inducit societatem, quæ illius necessitudinis

*Quinam  
gradus  
prohibiti,*

dinis reverentiam excludit, vitiumque heic perpetuo effectui adhæret *Grot. d. §. 12. Puf. de J. N. & G. L. 6. c. 1. §. 19. & 31.* quin ex hac propagatione confunditur prorsus jus, ordo, officium cujusque membri; jus educationis, onus alimentorum, jus successio- num, nomina, officia familiæ, nova enim eo in casu familia non constituitur, unde pater incertus fit, nec gradus consanguineorum discerni possunt. Generalis inder regula est, quod inter eos, qui sunt in eadem familia nuptiæ de J. N. esse nequeant, natura enim prohibuit nuptias in eadem familia, ut eo sanctior & purior maneret familia, hinc ex providentia naturæ vix & nisi ex summa libidine homines ad eorum concubitum videmus inflamari. *Conf. Puf. VI. 1. 28. seqq. Selden. V. 8. seqq. Præallegatus Velthufius. de pudore naturali. dissentit. prolixissime Dn. Thom. d. l. §. 221. seqq.* qui ut alias ipsius ratione stanceam, parentes reverentiam istam remittere posse autumat.

*Alii prohibiti gradus.*

§. XXII. Nuptiæ inter eos, qui parentum liberorumq; loco sunt, prohibentur, alteruter enim horum est pars & substantia ejus, qui ex ascendenti- um numero sunt. Prohibentur quoque inter fratres & sorores, quia uterque est pars corporis paterni, nova enim inter hos non constituitur familia, quia nova persona non accedit, sed quæ jam antea fuit manet. Grotius conjugia hæc ob recentem admodum parentum in liberis imaginem interdicit putat, Gentium consensum mire sententiam hanc illustrantem exhibet *Pufendorffius d. l.* Bene Michael Ephe-



Ephesius, fratrem cum sorore concumbere ab initio res media erat; at lege adversus tales concubitus posita, jam multum refert talis lex observetur nec ne. Prohibentur porro nuptiæ inter affines in linea recta, quia per nuptias unum aliquod integrum, constituunt hæ personæ, & descendantium & ascendentium pars sunt, cum patruī vidua, non cum viduis amitæ, materteræ, & vidua avunculi, non ullæ aliæ. *Lev. 18. v. 16. 20. 21. Pufend. VI. 1. 33. conf. scripta que inter Bucholtzium, Havemannum & Taborem de du-cenda uxoris defunctæ sorore agitata sunt.*

§. XXII. Mulier per nuptias mutat familiam naturaliter, mas non mutat sed novam priori addit, & marito & uxori in famulos jus competit. Servitus est qua omne jus, quod in res & actiones nostras habemus, alii committitur. Servi ex pacto suo ad operas domesticas in familiam adsciscuntur. Dein cum sbella passim increbrescerent, apud plurimos populos receptum, ut quibus bello captis vita donata esset, servitio addicerentur. Falsum vero esse videtur, quod partus in servitute natus sequatur patrem potius quam matrem, quod servitus oriatur ex sola necessitate alendi. Partus natura nec servitutum patris sequitur nec matris, posita autem lege, quod servitus hæreditaria esse debeat, partumque afficere, matrem non patrem sequitur, quoniã tempore editionis est pars matris, ex corpore materno, in quo perfectionem nactus fuit, erumpens. Neque servitus in prolem transire videtur, natura partui libertatem dedit, ergo non potest videri servus

*Domino-  
rum jus in  
servos.*

K

ante-



antequam in rerum natura esse cœperit, jus libertatis cuique hominum a natura datum est, quod parentes liberis auferre nequeunt; neque naturaliter fit successio nisi in patrimonium *Dissent. Grot. d. l. §. 29. Selden. VI. 8. Pufend. VI. 3. 9.* officia servorum satis deducit *Pufend. de O. H. l. 2. c. 4.* Dominorum vero jus nequaquam ad jus vitæ & necis porrigitur *Grot. d. l. ibique Bæclerus & Feldenus, de servis, Homini- bus propriis & famalis scripserunt Bonacossa, Er- bardus, Husanus a Tabore editi, & Laurentius pigno- rius.* quare, si intolerabilis sit dominorum in servos sævitia, hos fuga sibi considerare posse, vera est Grotii- que sententia, bene insuper recteque notante impe- ratore, Dominorum potestatem non in atrocitate, sed pietate consistere debere.

*Societatis  
jura qua.*

§. XXIV. Ex pluribus familiis nascitur societas aliqua publica, cujus duo sunt jura (1.) quod singuli de ejus juribus ut membra participant (2.) obligentur ad id, sine quo societas exerceri nequit. Hinc majora obligant, plures enim plus habent juris quam pauciores, sub pluribus pauciores quoque continentur, ea enim credenda est fuisse voluntas in societatem coeuntium, ut ratio aliqua esset expediendi negotia: est autem manifeste iniquum, ut pars major sequatur minorem. Frustra vero disponunt de religione, quippe quæ in nullius arbitrium humanum venit, frustra quoque de saniore sententia disputatur, apertissima litium materia, heic oritura, quis altero sanior foret *Conf. P. O. art. 5. §. 52.* paribus vero votis nihil agitur, altera enim pars



pars altera non est potior. *Conf. Grot. §. 17. idem de officio summ. potest. circa sacra c. 6. n. 4. Strauch. disp. jur. publ. VII. 1. res igitur manet in suo statu, reusque absolvendus, atque hic est calculus minervæ, de quo Boecler dissertatione peculiari Conf. diff. nostr. de L. Hum. c. 2. in l. 38. ff. de inoff. test.* Si tres pænæ corporales diversæ statuuntur, junguntur in media, Si unus absolvat, in minima pæna, quoniam qui in majorem etiam in minimam pænam consensisse censetur; tribus pænis pecuniariis existentibus conjunctio fit in media, de jure civili in minima summa. *Conf. Grot. §. 19. c. 1. X. de arbitr. in 6.* cum vero alter judex damnat, alter absolvit, inter dispares sententias mitior vincat, recte id pronunciant *Seneca contr. 29.*

§. XXV. Absentibus jure Naturali re integra jus suffragii competit, nisi in pænam lege ablatum fuerit, aut per præsentibus, si illi plures sunt, negotium perfici potuerit, eoque ipso dum absunt, neque contrarium denunciant præsentibus, eorum sententiis subscribere videntur, ac proinde jus suum tacite in eos conferunt, aut si ea lex dicta sit. *Dn. Coccej. disp. de J. B. & P. regni Portug. p. 47.* Naturalis sociorum ordo est prout quisque in societatem venit, Sic inter fratres is servatur ordo, ut qui primus natus est, reliquos præcedat, atque ita deinceps, rejectis aliis omnibus qualitatibus, ab hac prioritate differt dignitas, illa secundum ordinem temporis fit, hæc ex virtute oritur. *Grot. d. l. §. 20. 21.*

*Absentium  
vota.*



*Dignitas  
quid.*

§. XXVI. Dignitas est pretium & æstimatio virtutis, Laus & honor dignitatis declaratio est *Conf. Dn. Coccej. d. disp. de lege morgantica*, ubi de triplici dignitate patria, regia, & quæ ex virtute oritur, differit. Regum lites de ordinum dignitate non aliter definiri possunt, quam ab ordine temporis, nisi notorie & insigniter major sit dignitas majoris, quare potius ex temporis quam virtutis norma, in qua vix regnum regno cedit, quæstio hæc determinanda. Nulla dignitas naturaliter ad hæredes transit, virtus enim non est transitoria, nec cum sanguine devolvitur, sed actionibus laudabilibus demum acquiritur. *Conf. Dn. Cocc. disp. de præcedent.*

#### ADDITIO.

Vera itaque dignitatis causa & fons non nisi in merito consistit, naturaliter enim nulla est dignitas, nisi quæ ex virtute & rebus præclare gestis comparatur, est adeo, ut verbo me expediam, dignitas virtutum exercitium. Uti vero respectu tanquam mensura quadam æstimantur, ita generosæ hominum actiones merito suo valent, varietate inde vocantur. Hujus præstantiæ æstimatio duplex est, alia quanti in se sit ac valeat, alia quanti habeatur ab hominibus in Republ., alia privata alia publica est; illa cuique homini honesto competit, hæc publicis functionibus cohæret. Quemadmodum regna ex causa seu titulo, ex quo quis potestatem exercet, considerantur, ita circa præcedentias principum attendi solent literæ seu privilegia principis, vel alterius cujusque magistratus supereminentis, res quoque judicatæ seu sententiæ definitivæ inter easdem personas, eandem causam, idemque jus agendi habentes rite latæ legitimæ præcedentiæ titulum faciunt, facit quoque huc consuetudo, usus & observantia, præterea literæ quoque seu monumenta publica, veluti





veluti constitutiones, Diplomata, consiliorum acta, Recessus imperii, & qui in iis continetur ordo, huc pertrahi & inspicitur solet, nec invalidum quoque ad hanc rem peti potest argumentum a collatione seu comparatione aliorum indignitate constitutorum, quos præcedit quis vel sequitur, si enim vinco vincentem te, multo magis Te vinco.

§. XXVII. In communi jurisdictione, ubi alius tertiam, alius quartam, alius dimidiam habet partem fructus commoda & onera sunt dividua, & pro rata competunt, at suffragia in negotiis sunt individua, & unicuique competunt in solidum, ita ut alter alterius sententiæ contradicere possit, in re enim communi melior est ratio prohibendi.

§. XXVIII. Cum natura territoria finibus terrarum non numero personarum, uti infra patebit, sint divisa, cuique jus eligendi domicilium, ubicunq; fuerit lubueritque, competit, animus constituti domicilii constat, si (1.) quis habitet (2.) in perpetuum habitandi animum habeat: jure Naturali civis constituitur electione, etiam in duobus locis, quæ ab uno inhabitari posse vix dubium: domicilium hoc, uti a quovis a natura libere constituitur, ita libere quoque mutatur, eoque sublato, tollitur effectus quo populo vel principi obstricti eramus. Domicilii vero mutatio a principe prohiberi nequit, nisi id ob publicam salutem & pœnam discedentium fiat.

*Quid juris in communi jurisdictione.*

*Jus domicilii eligendi cuicunq; patet.*

## CAP. V.

### *De Contractibus.*

#### §. I.

**I**ndubium est, hominem de rebus a Benignissimo Creatore indultis liberrime disponere. Si igitur

*Homo libere disponit.*



intra hos concessæ facultatis terminos disposuerit, regula est, prout disponit, ita jus est, dispositio autem est voluntatis declaratio, quid fieri vel non fieri quis velit: tota igitur conventionis essentia in liberrima dispositione nostra consistit, ita, ut ad nullam prorsus æqualitatem in pactis servandam adstricti simus, concessa enim nec restricta in rebus factisque propriis disponendi facultate, non tantum æqualiter, sed inæqualiter quoque de iis disponere licet. Frustra igitur Grotius ejusque affectu in contractibus natura æqualitatem imperari asserunt, quæ sententia ex eo originem trahere videtur, quod justitiam, cum Aristotele ex medio deducere voluerint *L. 21. C. mand.* dispositionem hanc præcedat necessum est intellectus & voluntas, ille ut quid agendum cognoscamus, hæc ut quid fieri debeat, intendamus *Dn. Cocc. p. I. G. 6.*

*Requisita  
hujus di-  
positionis.*

§. II. Ut dispositio hæc penitus justa sit, ad eam requiritur (1.) facultas justa, ita quilibet de sua non alterius re disponit §. 3. *I. de l. & l. 15. ff. de condit. Inst.* (2.) voluntas, (3.) voluntatis declaratio, voluntas est decretum rei amplectendæ, illiusque, quod fieri volumus, declaratio *Conf. Pufend. Lib. I. c. 4. Thomaf. passim, & Legrand. Instit. Phil. de vita recte Inst.* Hanc præcedit rei cognitio, tantum volitum quantum cognitum, neque enim potest velle, qui, quid velle debeat, nescit, ad non cogitata voluntas humana non extenditur.

*Effectus  
voluntatis  
declaratae.*

§. III. Quamprimum ergo intra utrosque contrahentes voluntas declarata, jam id quod ante  
arbi



arbitrarium, & in liberrima potestate situm erat, obligatum, nobisque obstrictum esse incipit, jam enim quis non solum voluntatem suam pro futuro tempore determinat circa præstandam alteri rem quandam, sed simul dicit, quasi se jus in eundem conferre, ut rem promissam plene poscere queat. *Dn. Pufend.*

III. 5.

§. IV. Atque hæc una species est, qua alterum nobis per consensum semel datum obligamus, ejusque voluntati frænum quasi imponimus, alter obligationum fons est, quando quis facultates naturales excessit, & id, quod alterius est, tenet, vel in re, quæ ad alterum spectabat, quid agit; utrumque cum sine jure fiat, ita ad injuriam hanc reparandam obstrictus est. Priori modo res ablata restituenda, si verò ea in rerum natura amplius non sit, ad tantumdem, quod morali æstimatione pro eodem habetur, obstrictus est, posteriori modo si in altera re quid actû fuerit, tum ex factò isto, ad id, quod penes se est, vel quavis culpa factum, quominus penes se sit, tenetur. *Dn. Coccej. P. I. G. 7. delibata nostra juris th. 15. 16.*

*Altera obligationis species.*

§. V. Unde regulæ resultant, id quod nostrum est invitis nobis auferri non debet: ut teneatur is, qui rem nostram in sua potestate habet, efficere quantum in se est, ut in potestatem nostram redeat, non petito, si res perditã adinventã fuerit, pretio aliquo: ut ille, qui ex re nostra factus locupletior, quamdiu nos rem non habuimus, in tantum teneatur in quantum factus est locupletior, quod tum fit, si rei quamvis consumptæ perditæque lucrum apud me existit,

*§. Civ. regula hinc fluit sequentes.*

existit, quando scilicet ego re hac utendo meæ pe-  
 percerim: ubi verò Dominus, qui bona fide rem te-  
 net, tanrum non fuisset consumpturus, nisi copiam  
 hujus rei habuisset, nec lucrum illud restituet, con-  
 tra naturam esse, ait Tullius, ex hominis incommodo  
 suum augere commodum. Et alibi, illud natura  
 non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, co-  
 pias, opes augeamus *L. jure naturæ. ff. d. R. L.* quando  
 autem in alterius re quis segnis fuerit, ad omne  
 prorsus, quod alteri inde oritur, damnum obligatur,  
 si verò humanis facultatibus hunc, qui circa res con-  
 tingit, casum evitare non potuit, ad impossibilia  
 quoque non obligatur *aliter Grotius §. 1. & Pufend.*  
*IV. 13. 2. 5. Job. Goeddeus ad l. 12. de V. S.* verius hic  
*Kulpis Exercit. 6. conf. Dn. Simonis peculiarem ad*  
*Grot. c. X. diff. §. 13. B. F.* possessor non tenetur, si res pe-  
 rit, neque ad fructus, quos neglexit, nec, si quam rem,  
 nisi ex officio hoc factum, donaverit, vel alienave-  
 rit, illa tamen bona fides non impedit, quominus  
 verus dominus rem vindicare possit, salva B. F.  
 possessori hætenus actione contra eum, à quo acce-  
 pit, imo, re casu extincta, nec ipse M. F. possessor  
 tenetur; contrarium merito statuunt LL. Romanæ.  
*Dn. Pufend. de off. hom. L. 1. c. 13. §. 6. 7. 8. 9. 10. Grot.*  
*L. 2. c. X. §. 4-5. seqq.*

*Quid con-*  
*tractus &*  
*pactum.*

§. VI. Ex hisce rivulis natura contractuum  
 obligationumque, quæ nimium quantum apud plu-  
 rimos obscurata videtur, descendit: contractus est  
 pactum, quod vi & sua natura efficacem producit  
 actionem, pactum est duorum pluriumque in idem  
 placi-

placitum consensus *l. l. ff. de pactis.* de quo bene *J. C.*, nihil esse tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare; nihil esse tam naturale, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferri, ratum haberi, grave esse geminatam fidem fallere. Inter pacta & contractus nullam naturaliter differentiam statuimus. Consensus nudus ex se non infert obligationem, neque verbum volo sufficit, cum voluntas nondum satis declarata fuerit, neque sic translatio aliqua juris intelligitur, sed consensus de commutando jure vel cum animo se obligandi *l. 3. §. l. ff. de O. & A.* consensus vel plenus est, quo negotium perficitur, qui scilicet à parte una voluntatem transferendi, à parte altera animum accipiendi involvit, minus plenus, quo convenitur ad illud perficiendum, hic nihil operatur *l. p. in f. C. de his quæ ut indign.* solentque tractatus, præfationes, præparatoria vocari, uti pacta de contrahendo, de emendo, de quibus *Dn. Coccej. disp. de pact. & Stip. bodierna diff.* quæ de pactis nudis & non nudis aliisque varie disputantur huc non pertinent. Quare, pacta nuda apud Romanos actionem non dederint, præclare exponunt *Schilter. ad ff. Exerc. 8. th. 2. 3. Kulpis in colleg. Grot. l. 2. c. XI. §. l.*

**S. VII.** Promissorum tanta vis est, ut ipse Deus, qui nulla alias lege obstringi potest, contra naturam suam sit facturus, nisi promissa præstet. *Conf. Neh. c. IX. v. 8. Hebr. VI. v. 18. & X. 23. 1. Cor. XIX, 10. 13. Theff. I. v. 24.* atque hæc ex natura divinæ perfectionis veniunt.

*Promissorum vis.*



*Qui con-  
trahere pos-  
sunt.*

§. VIII. Sequitur autem inde, ob defectum intel-  
lectus & voluntatis, & ob ademptam administratio-  
nem nullum furiosi, nisi dilucida intervalla habuerit,  
amentis, infantis consensum, nullumque adeo con-  
tractum esse, id quod de promissis quoque ebriorum  
judicandum, si ebrietas eò jam processit, ut ratio  
plane obruta & sopita sit, nisi, discussa crapula, per e-  
brietatem acta quis rata habuerit, *Conf. l. 5. l. 40. junct.  
l. 129. ff. de R. I. l. 1. §. 12. de O. & A. l. 70. §. 4. de fidej.  
Struv. synt. Jur. Civ. Exercit. 6. th. 37. Pufend. de off.  
hom. c. 17. §. 10. secus in minoribus & fæminis, qui  
naturaliter obligantur, utut effectum obligationis  
leges civiles quandoque circumscribant aut tollant: &  
quousque in pueris imbecillitas rationis duret, cum  
in aliis citius in aliis tardius judicium crescat, vix de-  
finiri potest, sed illud ex cujusvis quotidianis actioni-  
bus judicandum: supra diximus, id naturaliter ex fa-  
cultate generandi & ei conjuncta administratione  
decidendum, quamvis in plerisque civitatibus leges  
civiles certum heic temporis terminum in univer-  
sum constituent. *Conf. Puf. §. 2. Maj. op. III. 6. 3. vid. l.  
101. d. V. O. l. 3. C. de integr. rest. Dd. ad §. 9. I. de in-  
stit. pact. Lauterb. tit. ff. de pactis.**

*Errantes  
non contra-  
hant.*

§. IX. Consensum quoque impedit error,  
qui efficit, ut intellectus à vero pacti promissive obje-  
cto deviet, adeoque voluntas revera in illud non  
consentiat, ut adeo error consensum ejus tollat, in  
quo quis errat, si in parte individua error contige-  
rit, totum tollitur. Si igitur in promissione aliquod  
factum vel qualitatem rei supposuero, & citra hujus  
intui-

intuitum promissurus non fueram, naturaliter hujus promissionis nulla vis erit. *Dn. Pufend. L. 3. c. 6. §. 6. Dissent. Thomaf. lib. 1. §. 72. lib. 11. 7. 39.* si modo liquidæ rei circumstantiæ ostendant, promissorem unice ex illo facto eâve qualitate tanquam ex conditione consensum suspendisse, omnemque insuper adhuc in investiganda rei natura diligentiam adhibuisse. *l. 15. ff. de Jurisd.* Ignorantia autem futuri pro errore non habetur, de J. N. enim inspicitur error, qui tempore dispositionis fuit, non qui postea supervenit, non enim dicitur ignorare, qui futura nescit, quia hoc supra humanam naturam & proprium Dei est.

§. X. Multo minus contractus dolo initus subsistet, præsertim cum talis contractus non sit, actus moralis ex prædeliberata contrahentium voluntate celebratus, si verò tertius aliquis ad contractum talem dolose quem induxerit, contractus quidem hæcenus validus erit, salva tamen decepto contra talem decipientem actione. *Conf. Puf. d. l. §. 13. Dn. Thom. Jurispr. div. l. 2. c. 7. 8. §. 49.*

*Dolus in-  
pedis con-  
tractuum*

§. XI. Contractus vi metuque initus subsistet, vis & metus consensum non tollit, quin potius eum tantò magis auget, enixioremque reddit, quin si princeps contractum metu initum rescindere vellet, pleraque fœdera, inter principes inita, nulla forent, dum contractum metu vicinæ potentiæ initum esse opponerent, accedit & illud, quod, si quis ad urpheadam præstandam obligatur, & tam diu, donec hanc præstiterit, in carcere detinetur, facile prætensurus sit, hanc obligationem metu initam, quo casu sum-

*Contractus  
vi metuque  
initus vali-  
dâ inducit  
obligationē.*

ma ipsi ad injuriam vindicandā via aperiretur. Tandem metus & coactio voluntatē non tollit, coactio enim nō voluntati, sed facultati adeoq; libertati opponitur *l. 21. in f. quod metus causa l. 116. de R. I.* plenissima hic enim deliberatio est, alterqve mavult contrahere, pacisci, aut pacem cum hoste suo inire, quam interfici, aliudve gravius malum pati. *Aristot. l. 3. ethic. c. 2.* ubi enim electio, ibi plenissima voluntas. Duo autem hic distinctissimi actus, duæ causæ, duæ obligationes, promissio unius & coactio alterius, illa licita, hæc reprobata, unde altera alteram non impedit, sed cujusque diversissimi effectus remanent, quare si latroni ego extrema necessitate coactus 100. promiserim, ad hos ipsi petenti exsolvendos obnoxius essem, salva mihi tamen postea adversus latronem, actione, qua illatam vim injuriamqve vindicare possum, quod vero cum difficile videbatur, inde jurisprudentia civilis huic incommodo medelam præparavit, dando exceptionem quod metus causa, alii inter metum justum, ut in exemplis quibusdam allatis, & quem magistratus, & injustum, quem plerumque privati inferunt, distinguunt, illud negotium, pro licito, hoc pro injusto, ipsoque Nat. jure nullo reputant; nos posteriorem sententiam pro planiore, priorem autem pro solidiore reputamus, *Conf. Bustum. comment. ad pand. præfat. Dn. Coccej. disp. de jure Belli. & Pacis Regn. Port. quest. 5. c. 1. aliter Grot. lib. 2. c. 11. §. 7. Puf. III. 6. 10. 11. 12. 13. Hobbes. II. 16. disp. nostr. de contract. summ. potest. c. 2. §. 29.*

§. XII.



§. XII. Materiam promissi quod attinet, eam oportet esse, aut esse posse in jure promittentis, non sit supra vires nostras, alias enim stolide aut improbè promittimus, quare non valent promissa facti per se illiciti, aut quod causam habet naturaliter vitiosam: inde quoque fluit, quod si quis de re, quæ in ipsius potestate & facultate non est, disposuerit, dispositionem talem, quamvis postea res in ejus potestatem deveniat, non valere, neque enim vel obligationis, vel ipsius jam conditionis tempore obligationis valet, non illo, disponent enim de re aliena, non hoc, cum jam in rem non fuerat consensus, frustra quoque de aliena re paciscitur; nisi, alterum hoc facturum, meque id curaturum, promisero *Pufend. de off. bom. §. 19.*

*Materia  
promissi.*

§. XIII. Promissa vel pure & absolutè vel sub conditione, ut scilicet validitas promissionis conferatur in aliquem eventum, à casu aut arbitrio humana pendentè, fiunt; sunt autem conditiones vel possibiles. l. impossibiles, illæ casuales, fortuitæ s. potestativæ, hæc, l. physice l. moraliter tales, aliæ suspensivæ, aliæ resolutive, de quibus integrum caput *Pufend. t. t. ff. de condit. & demonstr. t. t. ff. d. condit. Instit. Lauterbach. in comp. ff. tit. de pact.* is autem conditionis effectus est, quod pænitentiam impediat, quod plene ad heredes transeat, unde, uti doctores loquuntur, fluit, pendente conditione subesse aliquid, quod conventionem sustentet, atque sic obligationem tanquam in utero materno latere. *Carpz. p. 3. c. 9. d. 18. n. 3.*

*Promissio-  
num divi-  
sio.*

§. XIV.

*Quid juris  
in promissio-  
ne turpi*

§. XIV. In promissione naturaliter turpi duo sunt consideranda, ipsa promissio & deinde causa, promissio non est vitiosa, sed causa, ita si quis centum promiserit, si cajum occiderit, postremum illicitum, & ad pœnam corporalem, prius licitum, & promittens ad pecuniam promissam exsolvendam tenetur: promittere, solvere pecuniam actus licitus est, nec turpitudinē, nec injustitiam involvit, sed causa, cui hæc promissio innititur, injusta est, ex quo pariter fluit, nullam, si ex turpi causa quid dederim repetitionem superesse, quia dominus ita de re sua, uti in infinitum potuit, liberrime disposuit, & aliud injustitia aliud vitiū rei est, illa obligationem producit, hoc non; imo & mandans & mandatarius uterque ad reparacionem damni ex hac injuria illati, prætereaq; ad pœnam tenentur, jus civile autem omnem promissioni turpi obligationem detrahit. *Conf. Grot. §. 9. Pufend. III. 7. 8. Dn. Bod. disput. de condit. turpi impleta cap. 1. Passim.*

*Modus  
promis-  
sendi,*

§. XV. Modus promittendi in sufficienti voluntatis declaratione consistit, & fit voce, literis, nutu, quæ voluntatis deferendæ instrumenta sunt, vox est pictura animi, mentis nostræ decretum depingens. Sed non tantum ipsi, sed & per alios voluntatem nostram declarare possumus, nihilque interest, an per nos an per alios, qui tum instrumentum nostrum sunt, voluntas declaretur. Si ergo quis voluntatem nostram declaret, una est actio, si verò quis suam voluntatem nostro mandato pandat, duplex. Ità nomine principalium promittunt in publicis *Legati*

gati, in privatis *exercitores & institores* Grot. §. II. 12. 13. & hinc in generali præpositione fieri potest, ut nos obliget, qui præpositus est agendo contra voluntatem sibi soli significatam, sicut in Legatis, quæ promittunt ex vi instrumenti procuratorii excedendo mandata Domini, legati enim geminas habent literas 1. credentiales, quibus se legitimant, quæque; rati- habitionem ejus, quæ legatus acturus fuerat, involvunt; 2. mandatum arcanum soli legato pro re nata præscriptum, utrumque principem mittentem obligat, cui tamen salva remanet potestas, legatum, secretum hoc mandatum intempestive alteri, ad quem missus est, revelantem debite puniendi. *Conf. Dn. Kulpif. comm. de Legatis stat. Imper. 12. 8.* quod verò exercitores in solidum teneantur, optima est juris civilis ratio, ne, qui fidem unius magistri secutus, in plures debitores distringatur.

§. XVI. Si quis in promisso alteri deferendo internuncium adhibuerit, & vero hunc mori contigerit, antequam alteri nostra voluntas per eum fuerit significata, & is eandem acceptavit, revocari poterit promissum, nam expresse promissor voluerat, intervenientibus hujus verbis, promissionem contrahere, & hæc unius saltè dispositio est, cum consensus neq; ante neq; post mortem concurrat. Secus autem sese res habet in tabellario, cui literæ voluntatem meam exprimentes ad alterum deferendæ dantur, eaque per alterum post traditæ sunt, nihil inde obligationi decedit, tabellarius enim duntaxat perlator instrumenti obligatorii est, seu literarum, quas per quem-

*Quid juris  
si internun-  
cii adhi-  
biti.*

quemcunque perferri ac tradi neutrius quicquam interest, aliud est, si Dominus, antequam tabellarius literas tradidit, mortuus fuerit, desinit enim tum dispositio, postquam nunc negotium imperfectum, mortuusque disponere nequit, neque & hic hæredes obligantur. *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 11. §. 17. Puf. III. 9. 5. & 7.*

*Quid juris  
in revoca-  
tione.*

§. XVII. Sic porro ratione revocationis mandati distinguendum probe erit inter ministrum, qui missus est, ut tantum promissum significet, & inter eum, qui missus est, ut ad certa præsupposita promittat, priori casu revocatio vim suam habebit, etiamsi ministro non innotuerit, altero vero casu irrita erit revocatio, quam legatus post factam promissionem demum accepit, quia jus promittendi ab ipsius voluntate pendebat, quæ voluntas, nondum cognita revocatione, omni culpa carebat, & exinde alteri validum jus quæsitum, quod ei non auferendum. *disp. nota de cont. summ. potest. c. 2. §. 18. Grot. d. l. §. 17.*

*Acceptatio  
pro altero  
facta.*

§. XVIII. Quantum ad acceptationem pro altero factam, tres casus distinguendi veniunt (1.) qui accepit, vel ut minister Titii agit, & ipse Titius accipit (2.) vel accipiens tanquam procurator agit, & tum duo sunt negotia mandatum illius, pro quo accipit, & Effectus mandati, dum pro alio gerit (3.) quis pro alio, neque ut minister, neque ut procurator alterius agit, & non valet, nisi sua intersit, aut tertius rati habeat. *Conf. Dn. Coccej. hypom. juris civ. tit. de inutil. stipulat.*

§. XIX.

§. XIX. Obligatio ergo ex contractu, uti diximus, oritur (1.) cum dominus rem vel jus suum alteri promittendo concedit (2.) cum alter vel alienum quid tenet, vel a domino rem ea lege accepit, ut eam vel aliam redderet, utrobique ratio est, quod reus alienum quid habeat & ultra suum, & utraque significant nomina contractuum, frustra inde contractuum natura ad æqualitatem refertur, frustra quoque hi in onerosos & beneficos dividuntur, cum tota, uti toties dictum, contractuum essentia in libera dispositione consistat. Antiquissimus contrahendi modus permutatio est, ubi res pro alia nobis commoda re permutatur, *l. i. ff. de C. E.* cum verò sæpius eveniret, ut, quam rem alter habere cupiebat, ab illo, cui res permutanda displicebat, consequi non posset, inde infinita passim incommoda oritura fuissent, nisi promptus aliquis modus fuerit adinventus, quo huic hominum indigentiae remedium aliquod pararetur, inter primaria hæc media erat, ut quibusdam negotiis specificum quoddam nomen imponeretur, quo consensus ad jus commutandum significatur, talia negotia erant emptio, venditio, mandatam, mutuam, societas. Ut, v. gr. si quis mutuam se contraxisse diceret, statim de negotii forma constaret: ut verò contractus sit nominatus, requiritur, ut speciale nomen habeat, (2.) ut animus transferendi juris satis indicetur, non consilium. Huc igitur pertinent varia ista negotia mandatam, commodatum, depositum, pignus, emptio, venditio, cui adjiciuntur pacta veluti

*Quæ ex  
contractu  
obligatio.*

M

addi-

addictio in diem, lex commissoria, item retractus, jus protimiseos, emptionis istud genus, quod per a-  
versionem dicitur, auctio, locatio conductio, socie-  
tas, contractus qui aleam continent, sponsiones, va-  
ria ludorum genera, lotariæ, olla fortunæ, affecura-  
tio; ad securitatem accedunt contractibus fidejussi-  
ones & pignora; queis pacta antichretica & lex com-  
missoria addi solent, in singulis eorumque juribus ex-  
plicandis sat occupatum est jus Romanum, unde &  
hæc repetere velle, esset actum agere, interea quo-  
que compendiose hæc in multa capita contraxit, ju-  
raque exponit. *Pufend. offic. lib. 1. c. 5. per tot. oper.*  
*Maj. passim.*

*Dominium  
ante tradi-  
tionem  
transfertur.*

§. XX. Dominium naturaliter ante traditio-  
nem utique transferri potest, non possessio, & qui  
ejus effectus est, ipse domini usus naturalis, ita vi-  
num nec bibere, nec re quadam uti possum, nisi in  
potestate mea constituta fuerit, siquidem nihil tam  
naturale est, quam voluntatem Domini, rem suam  
in alium transferre volentis, ratum haberi quoad o-  
mnes effectus. Traditio autem est actus, quo res in  
alterius potestatem corporalem transfertur. Do-  
minii usus est vel naturalis vel civilis: exerceri vel  
extra rem, vel non potest, tradita res est quando  
(1.) manu tenemus (2.) si rem corporalem, quando-  
cunque volumus, apprehendere possumus. (3.) quan-  
do non quidem nos, sed alius nostro nomine appre-  
hendit. Dominium est facultas à natura concessa  
re pro lubitu utendi, *Supra.* usus domini naturalis  
est, ad quem natura rem produxit, v. g. vinum ut  
bibatur

bibatur, panis ut comedatur, usus domini civilis est actus, quo dominus ex re sua naturaliter quid lucrari potest, domino civili potestas vendendi, vindicandi &c. competit.

§. XXI. Qui in absentis vel cujuscunque patrimonium sumptus fecit, eosdem a reverso repetit, quoniam in relicta versatur, alterius negotia gerendo: factum tale licitum naturam quasi contractus absolvit, qui neque ex tacito neque ex præsumpto consensu nascitur, cum contra consensum, & invitum etiam detur *l. 6. §. 3. ff. de N. G.* qui illi, qui nec tacite nec expressè consentire possunt, ex hoc quasi contractu obligantur, ut exemplo furiosorum & pupillorum constat, obligatio autem ista ex ipso facto potestateque juris est *l. 32. ff. de R. Cr. Conf. specialem Lauterbachii ad hanc legem disp.* tacita & præsumpta subinde conventio verum, non quasi contractum efficit, fons igitur quasi contractuum ex potestate & ipso juris principio nascitur, quando enim quis ex aliena re fructus percepit, cum ultra suum quid habet, ad restituendos hosce fructus omnino obligatur *arg. l. 32. de R. Cr. Conf. hic. pr. l. d. 1. & 1. & l. 33. de cond. ind. Dn. Cocc. Hyp. L. 3. t. 28. §. 1. 2.* naturaliter cujus est res, ejus etiam periculum rei, inde commodatarius, re citra culpam suam perditam, ad restitutionem non tenetur, res perit suo domino, & periculum ejus est cujus res est, id quod in omnibus passim negotiis tenet, *l. 208. d. R. I.* nisi tamen res culpa perierit. Dissentit frustra Grotius, qui putat commodarium teneri resarcire rem, quæ periit.

*Quasi contractus.*

*Mensura  
rerum.*

§. XXII. Ad promovendos contractus & conservanda eō melius societatis humanæ jura, valde commodum erat, mensuram aliquam adinvenisse, quæ rerum pretia commensurari possent, causa pretii hujus & mensuræ est indigentia, hæc est carentia ejus, quod habere volumus, non tamen quo necessario egemus: inde recte *Cicero* dicit, indigere esse carere re, quam quis habere vellet, ejus iterum duæ sunt causæ, difficultas parandi; & copia utendi, nam quo prolixior & major usus rei est, eo major est difficultas comparandi, quare si neque in præsens neque in futurum re utimur, quin, si singulis ea momentis acquiri possit, cessat pretium difficultasque parandi, quo rarior itaque res, & quo minus illa comparari potest, tanto major indigentia & pretium est; indigentia autem talis de publica, non unius alteriusque privati intelligenda est, si enim publice sit rerum copia, singuli quoque rem facile comparare possunt; privatus autem affectus hanc mensuram & verum rei pretium nihil immutat; si enim per errorem vel affectum emptor plurius aut minoris, quam quanti est, rem comparet, id non rei, sed emptoris potius æstimatio & pretium est, qui cum sit suorum nummorum Dominus, offerre, quantum lubet, potest. *Conf. Dn. Cocc. disp. de pret. affect. & in primis Dn. Puf. de offic. Hom. l. c. 14 per tot.*

*Divisio &  
qualitas  
pretii.*

§. XXIII. Dividitur pretium in vulgare & eminens. Illud spectatur in rebus & actionibus seu operis in commercium venientibus, quatenus usum aliquem & delectationem hominibus afferunt, fundamen-





damentum ejus est aptitudo rei & operæ, qva aliqvid mediate aut immediatè conferre potest ad vitæ humanæ necessitates, hoc autem cernitur in nummo, qvatenus is omnium rerum & operarum pretium virtualiter continere, & communem iisdem mensuram præbere intelligitur. Ad mensuram valoris pertinet (1.) ut res non variet valore, (2.) ut alium. mensura usum non habeat, nam alias mensura non esset certa, qvia pro copia usus ejus æstimatio quoque variat, qvæ proinde res, qvæ certam æstimationem desiderant, metiri non potest. (3.) mensuræ partes ejusdem sint æstimationis, alias enim rei mensuram non exæqvarent (4.) mensura sit talis, ut ejus qvantis per pondus & formam insculptam publice appareat. Accurata rerum mensura vix in universo dabitur, proximè tamen iis accedunt metalla, & qvi ex his formatur nummus, quippe cujus intrinseca bonitas, qvæ in metallo illo latitat, rerum pro eo acqvirendarum pretio respondere videbatur, materia enim hæc ad custodiendum habilis, & in qvam propter raritatem multarum rerum pretia veluti constipari possunt, accedit, qvò substantiam habeant valde compactam metalla, sic ut usu non facile deterantur, & in minutas comminui particulas idonea sint, *Pufend. l. 5. c. 1. §. 13.* quin extra æstimationem nummus vix usum haberet, nisi ad pompam luxumque uti eo velis *Conf. Bæcler. dissert. Singul. de mensura pretii Fransk. III. resolut.*

§. XXIV. Quantum in mutuo æstimationem concernit, regulariter ad tempus & locum celebrati con-

*Usurarum  
justitia.*



contractus, sin pars aliqua lædatur, solutionis de-  
mum tempus respiciendum erit. *Fransk. exercit.*  
9. §. 2. 3. *Gail. II. O. 73. 2. Carpz. II. 28. 4. 5. Lauterb.*  
*Stryck. tit. ff. de R. Cr. usurarum conventio in infi-*  
*nitum licita est jure Gentium. Deut. XXIII. v. 19. &*  
*20. Dn. Cocc. posit. 5. n. 2. p. 6. Luc. XIX. v. 23.* usuræ  
enim nihil sunt aliud, quam merx in locatione, cum  
enim pecuniæ meæ usum in alterum transtuli, com-  
modo isto, quod ex re mea percipere poteram, ca-  
reo, damnum ergo istud, quod ob deminutum rei  
meæ usum sentio, ab utente refarciendum, quare si  
quis utitur aliena pecunia, perinde tenetur usum  
& æstimationem usus domino restituere, ac usum  
seu fructus prædii alieni, si eo fuisset usus, atque usu-  
ra nihil est aliud quam æstimatio usus. *Hagen. de usu-*  
*ris c. 3. Cloppenburg. de sen. cap. 5. §. 6. Habn. ad We-*  
*senbec. t. ff. de usuris.* neque impedit, quod pecunia  
suapte natura res sterilis sit, nam & domus & res ali-  
as infœcundas hominum industria fructuosas fecit,  
itaque etsi ex pecunia fructus naturaliter non oria-  
tur *l. 62. ff. de R. V.* opera tamen commercioque ho-  
minum fructus inde produci possunt *l. 3. ff. de us. ear.*  
*rer.* prohibitio usurarum apud Hebræos positivi  
juris est, *d. Deut. XXIII. v. 19. & 20.* quippe quæ  
peregrinos non stringit, sed solos, queis invicem  
prohibitæ erant usuræ, judæos: prohibitio ab usum  
usurarum, illasque, quas mordaces vocamus, solum  
tangit. Christum verò usuras non damnare vel inde  
patet, quod servos lucrum accipientes laudet. *Luc.*  
*XIX. v. 23.* oportuit, inquit, te committere pecuniam  
num-

nummulariis, & reversus ego recepifsem utique  
 qvod meum est cum usura, *Conf. Gronovii, Schockii,  
 Salmasii contra Cloppenburgium hoc nomine edita  
 scripta. Conf. Sedd. VI. §. 9. 10. Pufend. V. 7. 8. Textor.  
 c. 13. n. 4. Heig. p. ii. qu. i. Wiss. p. 1. D. 24. tb. 3. Dn.  
 Coccej. disp. de anatocism. sect. I. §. 5. 6. 7. seqq. Schilt.  
 ad ff. Exerc. XXII. tb. 5. & Dd. comm. ad titulum ff. de  
 usuris. qvare cum nulla hic intrinseca aut universalis  
 pravitas sit, sed ex circumstantiis solum æstiman-  
 dum, qvatenus mordaces fiunt, Legibus civilibus,  
 utique certa qvantis potest determinari intra  
 qvam accipere liceat. *Conf. t. t. ff. de usuris. R. I. 1500.  
 30. 77. tit. von wucherlichen contracten. Rec. dep. spir.  
 1600. Lauterb. ad b. t. Carpzov. consistor. II. 20. 319.  
 Coler. pr. Ex. p. 3. l. 10. 37. qvod si alii usuras profus e  
 Republ. proscribunt, pacta tamen alterius generis  
 concedunt, nomine solum non re ipsa abstinere, aut  
 ad eludendam infamiam usurariam jam alia diverti-  
 cula ut qværant homines, haud raro indulgent,  
 exempla prioris ap. *Grot. n. 21. posterioris generis ap.  
 Pufend. V. 7. 212. imo & usuræ usurarum, cum de re  
 nostra liberrime disponamus, de J. N. licitæ sunt.***

§. XXV. *Æstimatio usus qvoqve contingit  
 in contractu assæcurationis: assæcuratio pactum est,  
 qvo tertius in se suscipit periculum mercium pro  
 certo pretio. Dn. Cocc. disp. de assæcur. §. 9. qvo ma-  
 jus periculum tanto majus pretium in hoc contra-  
 ctu exigi potest, periculum heic est casus futurus in-  
 certus, qvo extrinsecus damnum mercibus accidit,  
 qvale est, qvoda tempestatibus, piratis, latronibus,  
 incen-*

*Contractus  
 assæcurati-  
 onis.*

incendiis, scopulis metuitur *Grot. introduct. l. 3. c. 24.*  
 §. *onder* nec soliti tantum, sed & insoliti plane conti-  
 nentur. *Marquard. de mercatura l. 2. c. 13. n. 66.* si al-  
 teri jamtum constet rem salvam in destinatum lo-  
 cum venisse contractus hic nullus est *Ricc. d. 837.*  
*Mastrill. d. 284.* Hinc nec valet assicuratio, quæ in  
 præteritum vel præsens concepta est, v. g. si navis  
 in itinere perierit dabo; dum periculum non ampli-  
 us sit rei jam perditæ, nec casus aut eventus, nisi in  
 futurum, sic enim negotium hoc non assicuratio,  
 sed sponso erit, vero autem rei pretio plurimum de-  
 trahi incerto eventus casu jam tum dictum, de re-  
 quisitis ejus in universum consuli possunt *Stracha,*  
*Santerna, Stipman. Dn. Cocc. dict. dissert. de assicura-*  
*tione Grot. §. 23. Puf. V. 8. Kurickius integra dissert.*  
*de assicurat. pass. Feltman. ad. l. 4. §. 7. de pact.* In so-  
 cietate negotiatoria, prout circa participationem  
 lucri & damni conventum est, quod variis modis ac  
 inæqualibus etiam pactis fieri potest, ita jus habetur,  
 si nihil dictum sit, pro rata instituenda est partitio,  
 computatis insuper operis, ut tamen quis damnum  
 solus sine omni lucro sentiat, societati repugnat, ut ut  
 dispositio talis in vim donationis de J. N. subsistat,  
 & sic non amplius societas audiat. In civili jure  
 vocatur hæc leonina. In societate navali adver-  
 sus piratas defensio & securitas individua est, illa o-  
 mnibus in solidum competit: at præda & lucrum,  
 dividitur, de jure hujus societatis, quam *admiralita-*  
*tem* vocant, disquirunt varie, ad nudam defensio-  
 nem contra piratas simpliciter valet, nec superioris  
 con-



consensu opus est, ad laceffendendos alios, non valet, nisi ex mandato & concessione summæ potestatis, de admiralitate conferantur *ordinationes & edicta varia ab Hispaniarum Rege, Statibus Hollandiæ, ac Rep. Hamburg edita. Locc. l. xi. c. 2. Franc. Clarkii praxis curiæ admiralitatis Anglicanæ, quæ Londini prodiit.* computatio ac compensatio dominis navium fieri solet, secundum regulas legis Rhodiæ, vel, ut hodierno stylo loquimur, secundum jus Avariæ pro diversitate rerum factorumque vel communis vel grossæ *Marquartus de jure mercat. l. 3. c. 4. n. 13. Grot. introduct. ad Jurisprud. Batav. l. 3. c. 29. Peckius & Vinnius ad L. Rhodiam.*

## CAP. VI.

DE

# *Juramentis, interpretatione & damnis.*

§. I.

**C**UM contractus & negotia humana ob innatam hominum pravitatem nocendi que libidinem facile rumpi poterant, sanctius aliquod vinculum adinveniendum erat, quo hæc hominum inconstantia tanto firmiter arctiusque constringeretur, fit hoc per juramentum, cujus apud omnes populos, & ab omni ævo, maxima semper vis fuit & sanctimonia, ita ut gravissima pæna perjuros manere

*Juramenti  
sanctimo-  
nia.*

N

crede-

crederetur, juramentum enim præstatum sub amissionem maximi boni, gratiæ nimirum numinis æterni, quam nemo præsumitur velle amittere. *Gros. l. 2. c. 13. Puf. IV. 2. 6. Hobb. II. 22. Conf. Rudolphum Schrauderum & Fer. Setzerum passim. Vitriar. l. 2. c. 13. qu. 1.*

*Quid juramentum.*

§. II. Juramentum est assertio religiosa, qua divinæ misericordiæ renunciamus, aut divinam pœnam in nos deposcimus, nisi verum dicamus, religiosum est, quod sanctum & inviolabile est. *Gell. l. 17. noct. Att. c. 2.* assertio hæc dupliciter fit, sive enim (1.) declaramus rem ita, ut eam proferimus, se habere, atque hoc assertorium, sive enim (2.) promittimus rem ita effectum iri, atque hoc promissorium, dici solet, ex illo obligatio ad pœnam, ex hoc ad faciendum nascitur, in illo declaratio scientiæ requiritur, (mentales ergo reservationes hic exulent, ubi scilicet quis sententiam non declarat, sed reticet) in hoc voluntatis, de eo, quod inter utrumque agitur, ex qua metus violandæ rei sacræ resultat.

*Requisita jurantium.*

§. III. Juraturo animus rationis compos & deliberatus adsit; verbaque jurantia, ubi ea interveniunt, non enunciative aut per jocum, sed intentione jurandi proferantur, necessum est; eoque sensu, quo delatum, præstandum est, non tamen ultra receptum loquendi morem juramenti significatio extendi debet. *Conf. Gros. §. 3. Pufend. IV. 2. 12. 14. Feltsman. de jur. Perborr. diff. 1. c. 2. n. 15.* Qui autem verba jurantia deliberato profert, animum vero jurandi non habet, nihilominus obligatur, sufficientem enim, quod actus is ex deliberato processerit, animo,

animo, alterqve in eum sensum eum acceperit. Juramentum dolo elicitum nullum est, quia dolus omnem voluntatem, sine qua juramentum fieri non potest, excludit: Secus, si dubium sit, annon etiam sine eo fuisset juraturus, aut dolus circa accidentalem aliquam circumstantiam fuerit versatus, in metu idem juris quod in obligationibus *de quo Grotius §. 3.* neque autem Deo heic obligatio acquiritur. Quia jusjurandum est testimonium aliquod Dei, & vero testis ex testimonio suo non acquirit obligationem, sed eam vel factum aliquod, de quo testatur, præsupponit. *Vitr. quest. 12. Ziegler. p. 364. Franskius II. resol. 3. 18. Rauchbart. p. 2. qu. 4.*

§. IV. Qui ingenere jurat, ad omnes omnino species tenetur naturaliter, nisi appareat (1.) non cogitasse eum de aliqua specie (2.) licet cogitaverit, tamen non juraturum se fuisse *l. 9. §. 3. ff. de transact.* Juramentum de re illicita nullum est, in hac enim non solum voluntas, sed ipsa quoque facultas definit, quare quod juramentum contra virtutes, quod impossibile, quod majus bonum morale, impedit, plane illicitum est, profectum in bono Deo debemus, ita ut ejus libertatem eripere nobis ipsis non valeamus. Jurejurando Deo obligamur, qui nunquam exigit virtuti renunciemus. Ad quod Philonis illud a Grotio excerptum adaptaveris, sunt quidam adeo duro atque infociabili ingenio, sive odio humani generis, sive dura domina iracundia, subacti, ut morum feritatem jurejurando obfirmant, ut ne hunchabeant mensæ aut tecti socium, ne illi

*Quid si juramentum generale?*

bene unquam faciant, ne quid ab eo ad mortem usque accipiant. Si vero impossibilitas non perpetua, sed ad tempus fuerit, obligatio erit in pendentia. *Conf. Grot. §. 6. 7. Pufend. IV. 2. 9. 10. Textor. c. 27. n. 57. Nov. 51. Causs. 22. qu. 4.*

*Forma jurandi.*

§. V. Formajurisjurandi est, quod Deus testis & vindex invocetur, simulque ab eo perfidiæ ultio poscatur, formula autem est, Deus me perdat, Gott straff mich. Ita me DEus adjuvet, als mir GOTT helff/ veletiam implicite So war Gott lebt: GOTT GOTT ist. Ich wil nicht selig werden/ ich wil GOTTES Angesicht nicht schauen. Qui per falsos Deus juraverit, quos ipse tamen pro veris habet, utique obligatur, & si fefellerit, perjurium committit. Quia sub quocunque speciali conceptu generalem numinis notionem ante oculos habuit; adeoque dum sciens pejeravit, divinæ majestatis reverentiam, quantum in se, violavit. *Grot. §. 12. ibique Felder. Pufend. IV. 2. 4. Textor. c. 27. n. 13.* Hinc Christianum a Gentili in gravissima causa tale juramentum accipere posse ipse *Amesius, Balduinus in Casibus conscientiae* docent. *Conf. Gen. XXXI. v. 53. & de Judæorum juramentis O. C. P. 1. t. 86. Myns. cent. 6. O. 20.*

*Effectus juramenti.*

§. VI. Effectus juramenti sunt, quod præcitat controversiam *Exod. XXII. v. 11. ad Hebr. VI. v. 16. l. 12. ff. de jurejur.* quod obligationem producat ex qua tam homini quam Deo jus nascatur, aut DEO soli, ubi ex parte ejus, cui juratur, impedimentum accesserit. Duplex autem ex juramento nascitur obligatio, altera ex contractu, altera ex delicto, illa cui





cui juratum, hæc ei, per quem juratum, uti mox, datur. Qui juravit, de jure N. non probavit, non enim sequitur, juratum, ergo verum est. Sed cum ulterior progressus non detur, pro vero habetur, inter partes autem hæc firmitatem capiunt ex dispositione. Heres ex conventionione jurata, quoad efficaciam obligationis, jure per juramentum in alterum translato, obstrictus; at ex ipso juramento heres non tenebitur, unde nec perjurus fit, nemo in alterius animam jurat, quo nomine quoque, si defunctus pejeraverit, heres ad pœnam non tenebitur, *Grot. II. 13. 16. Textor. c. 27. n. 83. Ziegler. p. 367. Pufend. §. II. bene inquit hic Dn. Kulpis. Heredem quoad vinculum juramenti non teneri, bene quoad efficaciam obligationis.*

§. VII. Juramenta hosti publico, quàm piratis & latronibus data obligatoria sunt, duplex enim hic obligatio, altera ex conventionione, quæ actum promissionis meæ, ex qua ego obligor, involvit, altera ex delicto est, ex quo prædo mihi obligatur *Grot. §. 15. & 3. 19. §. 2. Puf. IV. 2. 8. male heic cum Cicerone & Alberico Gentile dissentiente Bodino de Republ. l. I. c. 7. & l. 5. c. 6.*

*Juramenta  
hosti  
data.*

§. VIII. Juramenta non impediunt præcepta monitaque Christi; sed, hæc in promiscuo loquendi usu consistere non debere, innuunt, quo ipso tam sancta res, qualis juramentum est profanaretur. Deinde maximus in eum, penes quem juratur, honos redundat, cujus nomen tanquam rem sanctam & venerabilem juramento adjicimus. Perinde enim  
heic

*Jurare licet.*



heic est, ac si quæras, an adorare Deum liceat, qualis per juramentum cultus Deo utique præstatur. Jurare igitur Christiani omnes possumus. *Exod. XXII. v. II. Deut. VI. v. 13. & X. v. 20. t. 20. X. de jurejur. Gerhard. loc. theol. tom. 3. de leg. moral. §. 116. Amesius de conscientia lib. 4. c. 22. qu. 1. Balduin. de casibus conscient. lib. 2. c. 9. cas. 1. Grotium dissentientem confutant commentatores Zieglerus, Osiander & Textor. c. 27. n. 45. divino tamen humanoque juri conveniens est, ne facile, nec temere juretur c. 26. circa f. X. h. unde variorum populorum legibus moribusque non solum jurandi licentia restricta, sed aliis quoque signis, vice jurisjurandi uti datum est, quod multis insuper autoritatibus comprobatur *Kulpis in Colleg. Grot. n. 6.**

*Quomodo  
porro jure-  
jur.*

§. IX. Jure quoque naturali promitti per quamvis rem nobis charam & venerabilem, idque juramentum dici potest, licitum id est, neque enim apparet prohibitum. *Conf. l. 2. C. de R. Cr. l. 2. C. ad l. jul. maj. l. 33. de jurejur.* Ita per principem, per patriam, per patrem, per liberos jurari potest, pertinet huc formula illa *bey Fürstl. Gräffl. Adel. Treuen und Ehren:* intelligenda vero hæc de juramento promissorio, assertorium enim per nullum alium nisi Deum fieri potest, quia neminem nisi Deum assertionis nostræ testem invocare possumus, nemo nisi Deus *καρδιογυωσης* est, qui intima cordis nostri penetralia intuetur. *Conf. Myler. ab Ehrenbach in Nomologia passim. Gail. II. obs. 59. Myns. I. Obs. 17. Dn. Zollit. disput. von der Cavaliers Parole, in sacris talia juramenta*

menta apud Eliæ, Josephi & Pharaonis personam passim nota sunt. Sensus est, nos tam sancte promissa impleturos, quanti facimus honorem ejus, per quem id promissimus *Conf. Tim. V. v. 35.*

§. X. Cum in promissis, conventionibus, juramentis verba quandoque in diversos sensus accipi possint, solida interpretatione opus erat, qua genuinus eorundem sensus eruatur, ne quisque sensum, quem vellet, suis verbis affingere, atque ita obligationem eludere possit. *Kulpis §. I. c. 16.*

§. XI. Generaliter illud, quod inter partes agitur, & de quo non rite constat, vocatur dubium, dubium de quo quæritur, est vel factum ipsum *t. t. ff. de Reb. dub.* vel voluntas, hæc dubia est, quando signa, quibus ea declaratur, dubia & incerta sunt. Signa quibus voluntas declaratur sunt vel verba vel facta *l. 32. d. LL.* verba sunt picturæ animi, ex instituto hominum introducta, ut per ea, quid velimus, significemus. Facta nihil sunt aliud, quam signa, quibus ex actualiquo vel ob finem vel ob media sua judicamus hanc necessario alterius esse voluntatem, verba dubia sunt, quoties una vox plura significat, quod sæpe numero contingit, quia longe plures sunt res ac negotia, quam nomina. Ex verbis & factis nulum nascitur jus, nisi bene fuerint declarata: egregie totam interpretationis materiam, confuse a *Dialecticis, Oratoribus, Historicis* tractatam in ordinem concinnum hic redegit *Grotius*, quem sequitur & commentarii vices supplet *Puf. V. 12. & Dn. Thom. l. 2. c. 12. add. Hopper. de art. jur. L. II. f. 92. Placcius de JCroperfect. c. 8. 9. 10.*

*Usus interpretationis.*

*Quid dubium quomodo hoc interpretandum.*

§. XII.



*Regula interpretati-  
onis*

§. XII. Sermo est vox articulata, qua homines sibi invicem animi sensa significant, & inter se rationantur: vox est sonus ab animalibus quibusvis editus. Sonus est quicquid ab auribus ex quorumcunque corporum collisione percipimus. Interpretatio est dextra verborum explicatio, estque vel declarativa, vel extensiva, vel restrictiva. Cum vero significationes verborum varium assumant sensum, & a variis varie interpretentur, ita tria sunt momenta, quæ hanc difficultatem potissimum amputare videntur, si enim in interpretatione dubium aliquod nascatur. Inspiciendus (1.) est mos & consuetudo loquentis, prout ille vocibus communiter uti solet *l. 50. §. f. ff. de leg. 1. l. 75. de leg. 3. l. 96. de R. I.* (2.) Si hic non appareat, communis populi interpretatio inspicienda, & sensus a Gentibus inductus, ex trito isto, verba valent usu ut nummi. *l. 50. §. 3. ff. de leg. 1.* (3.) Si de neutro horum constet, propria genuinaque vocis significatio assumenda *l. 67. d. R. I. l. 69. de legat. 3.* eodem modo circa dubium factum procedendum, in hoc enim (1.) agentis (2.) populi consuetudo, & (3.) quomodo tale negotium publice fieri debuisset, advertendum venit.

*Interpretationes l. C.*

§. XIII. Quæ ex favore causæ in pænis aliisque negotiis assumuntur interpretationes, v. gr. quod contra eum, qui apertius & clarius loqui poterat, interpretatio facienda, quod in naufragio mulier præ masculo prius mortua fingatur, quod puer ante minorem, senex ante juvenem prius mortui habeantur, quod in dubio benignior sententia suscipienda,



enda, hæc meri juris positivi sunt, quæ, negotia illuforia fierent, statuta sunt, omnis enim de J. Naturali interpretatio certa firmaque esse debet, alias, ea incerta, nihil profus agetur. Quin quid favorabile, quid odiosum sit, non ita prompte patere, bene contra Placcium disputat in speciali Quæstione *Thomasius, quam inseruit jurisprudentiæ suæ divinæ.* Omnis igitur voluntas & dispositio certa esse debet, alias ea incerta nihil agetur, inde tres resultant regulæ 1. mutatio non præsumitur. 2. Res præsumitur manere in suo statu naturæ, quia ille certus est, 3. præsumptio naturalis est, quod reus in dubio non condemnari sed absolvi debeat.

§. XIV. In artium vocabulis, quæ populus vix *Cautela.* capit, adhibenda artis cujusque prudentum definitio, conjecturis opus est, ubi aut verba simplicia, aut verborum complexio sunt *πολύσημα*, vel plures significationes recipiunt, aut quoties *εναρτιοφαινεσία* quædam seu repugnantia species occurrit, tum enim varii sunt loci, ex quibus veram dicentis voluntatem conjicimus: vel ex materia, ut pro materia substrata intelligatur, vel ex effectu, ne sequatur aliquis a ratione alienus, vel ex conjunctis, quæ talia sunt aut origine, ubi ejusdem autoris sententia, tum ex alio quodam scripto suo, aut etiam loco, tum ex ejusdem loci antecedentibus & consequentibus interpretatio sumitur *Grot. §. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Pufend. §. 5. 6. 7. 8. 14. 16. 20. 21.*

§. XV. In contractibus omnibusque juris capitibus regula juris communissima tenet, nemini jus *Damna res facienda,* suum

O

suum



suum auferendum; sed, si quod damnum rei fuerit illatum, illud resarciendum esse. Damni nomine, omnis læsio venit, qua alicui tollitur diminuiturque quod suum est, cum enim per factum aliquod alterius patrimonium lædatur, corrumpatur, is, qui notorie facultates naturaliter concessas egreditur, illud damnum resarcire debebat.

*Varietas  
factorum.*

§. XVI. Facta hæc sunt duplicia, aut enim (1.) scimus rem esse alienam, ubi non tantum ipse actus, sed & neglectus & contemptus alterius inspicitur, (2.) nescimus injuriam, quam tamen scire poteramus, quo casu tantum neglectus est alterius: illud delictum, hoc culpa est, delictum seu injuria est omnis culpa vel actio illicita ejus, qui scit, vel scire potuit, esse illicitum, sub delicto omnia crimina & actus culposi comprehenduntur, ex eoque obligatio nascitur ad reparandum, ignorantia igitur, si rigorem J. N. inspicias, non excludit delictum, nam naturaliter non tantum delictum est, quando sciens vel dolose quis fecit injuriam, sed etiam quando ignorans tale quid commisit, ob naturalem homini datam facultatem, qua adhibita, hæc & scire & avertere poterat & debebat, quoad gravitatem delicti autem differentia est, nam gravius delinquit, qui ex proposito peccat, quam per ignorantiam, mitius in hoc versatur jus Romanum distinguenda inter culpam & delictum. Si vero quis viribus humanis scire non potuit, rem fuisse alterius, ea inter hoc & priora facta duo differentia intercedit, quod in hac specie caveri non potuerit, ne fieret, in prioribus potuerit, in hac nulla, in prioribus pæna insu-



insuper aliqua adjici poterit, igitur ex rigore Naturæ homo ad omnem, etiam exactissimam, quæ ab humano intellectu ac ratione proficisci potest, diligentiam tenetur in omnibus causis civilibus, & si vel levissima culpa negligat ejus observationem, inde tanquam ex vero delicto tenetur, verum Jus Civ., uti mox visum, intuitu & favore humanæ imbecillitatis temperavit in suo foro hunc naturæ rigorem, & quidem in eo, quod circa culpam non attendat, quid intellectu humano in se & adhibitis omnibus ejus viribus possit cognosci ac prospici, sed quid pro præsentī corruptiore hominum conditione possit; neque exigit culpam ad summum facultatis intellectivæ gradum, & prudentiam, quanta in ea esse potest, maximam; sed ad communem hominum modum, mediorem sc. ac talem diligentiam, quam patres-fam. qui vulgo frugi ac diligentes habentur, solent adhibere, reliquum enim, quod communiter hominibus deesse videmus, intuitu humanæ infirmitatis potius naturæ, quam animi vitium videtur. *Dn. Coccej. in collat. jurid. p. 6. §. 5. 6.* Sub facto aliquo non continetur omissio in re aliena: exc. 1. Si recepimus 2. si actu habemus. Tenentur omnes, quorum actio est causa damni, ex omnium enim actuum injustitia obligatio ad reparandum nascitur; omit-tendo peccat, qui aliquid agere debebat.



## CAP. VII.

DE

*Summa Potestate.*

§. I.

*Datur potestas summa.*

**A**D Jura Universi hujus regenda, & contra invitos exercenda, necessaria est in terris potestas aliqua. Equidem vix domus, vix familia, vix civitas salva, sana, tutaque esse poterat, nisi vinculo quodam potestatis summæ universum hoc gubernaretur: proverbium est apud Hæbreos, quod *Grotius de I. B. & P. L. l. C. 3. §. 4.* citat; nisi potestas publica esset, alter alterum vivum deglutiret. Qui sensus est apud Chryostomum ita, nisi Rectores civitatum essent, ferio rem feris viveremus vitam, non mordentes tantum, sed & vorantes alios alii. Bene *Pufend. de O. H. & C. l. 2. C. 5. §. 7.* Genuina & principalis causa, quare patresfamilias, deserta naturali libertate ad civitates constituendas descenderint, fuit, ut præsidia sibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminet. Nam uti post Deum O. M. homo homini plurimum prodesse, sic & idem non minus obesse potest. Quin alia reprimendæ hominum malitiæ media non erant suffectura, neque conscientiæ morsus sat validam deprehenduntur vim, habere refrænandæ hominum malitiæ. conf. *Hobbes de civ. c. 6. Gomara Hist. ind. Occ. c. 44. & 65.*

*Origo Imperii.*

§. II. Quod si originem & progressum Rerum publicarum evolvamus, certum, aut ad minimum pro-





probabile esse videtur, quod, constitutis in genere humano familiis, seu una, seu sensim pluribus, non tantum cuique familiæ, ejusque capiti in ipsam familiam, quam uxor, liberi, & qui in hanc adscisciebantur, servi componebant, jus aliquod regendi & necessitates domesticas attemperandi, verum etiam pluribus familiis in singulas, quoties quæstio juris suborta, jus aliquod imperiumque competierit. Equidem quantum privatas familias concernit, verisima, ipsique naturali rationi convenientissima lex est, omnia illa, sine quibus familia, ejusque structura conservari non potest, ab ipsa natura concessa esse, hoc vero sine directione nullatenus fieri poterat, de hoc igitur imperio, quod & jus in uxorem, & facultatem liberos educandi, servis imperandi tribuebat, dubitari vix potest, & absque quo ex mente *Pufendorffii* vita socialis intelligi nequit. Quod vero cum paucis forte familiis genus humanum constaret, omnibus in singulos, si de jure cuique tribuendo quæstio incidebat, jus competeret, majori forte disquisitione opus habere videtur. Immotum est, mentibusque humanis penitus insitum principium, dari aliquam universalem normam, ad quam hominum actiones flecti debent, quod tum ex finerum creatarum, tum ex unico illo medio, quod sine eo ne ad momentum quidem genus humanum subsistere possit, oppido liquet, positâ hac lege, ponitur superior, jus nullum est, nisi superiorem statuas; Jam tum agnovit Pomponius *in l. 2. §. 13. ff. de Orig. jur.* Nullum & inane esse jus, nisi sint, qui illud exe-



exequi possint, inde *Seldenus* judicia inter illustri-  
ora Juris Noachidarum seu gentium nniversalis ca-  
pita, quæ nunquam non, & in ipsis rerum initiis ho-  
minia natura imperata sunt, refert *lib. 1. cap. 10. &*  
*lib. 7. cap. 4. & 5.* Probamus autem hoc ulterius,  
1. quoniam genus humanum vicariâ quasi summi le-  
gislatoris potestate regi debet, ex ratione mox dicta.  
2. Quoniam genus humanum absque imperio con-  
servari non potest, nisi statuere velis turbam ali-  
quam, ubi nemo audit neminem, pulchre ait *Cicero*  
*lib. 3. de LL.* sine imperio non domus ulla, nec civi-  
tas, nec gens, nec hominum genus stare, nec rerum  
natura omnis, nec ipse mundus durare potest. Nul-  
lum animal est homine sævius, si libidini licentiâ ha-  
beat conjunctam, nec absurde quis dixerit, per Cre-  
atoris providentiam ideo tam tardis incrementis  
hominem adulescere, secus ac bruta, quo ingenii  
humani ferocia & asperitas per longas moras ut-  
cunque frangi, & in harmoniam cum aliis dispari-  
bus ingeniis queat temperari, nam subito in plenas  
vires adultus homo quavis bestia intractabilior erat  
futurus. 3. Imperium hoc vel uni, vel pluribus,  
vel denique toti generi humano competere debet,  
non illi, nec istis hoc vindicandum, quoniam homo  
in hominem non habet jus, nec imperium, nec po-  
testatem, ergo necessum est, ut statuamus, Imperium  
humanum toti generi humano, seu societati compe-  
tere, quæ ex sententia quoque *Solonis in l. 4. ff. d.*  
*Colleg. & corp.* jus habet in singula membra, exinde  
igitur colligimus, quod, si unus ex antiquissimis pa-  
tribus



tribus familias vel delictum commiserit, vel alterius jus læserit, is à cæteris collective sumtis familiis ad refarciendum hoc adstringi potuerit, & debuerit. Ipse supremus rerum arbiter Noachidis dicebat, qui sanguinem effundit, ejus sanguis iterum effundetur, & à quo nisi à Noachidis, quibus loquebatur, & in quibus omne hominum genus erat congregatum, hoc intelligi potest, singuli enim nihil in se juris, nedum tantam occidendi potestatem habebant. Hæc igitur contra *Hobbesum*, *Pufendorfum*, aliosque, statum naturalem fingentes, verissima esse putem. Nul- lum equidem generis humani punctum & articulus cogitari potest, quo genus humanum judiciis, si ipsam judicandi potestatem, non externam judi- ciorum formam consideres, caruerit, verissimum adeo est, judicia non ex facto hominum, sed ex ipsa natura fluere.

§. III. Ast vero ob varia hominum vitia, ex ambitione, avaritia, & voluptate orta, istiusmodi status haud diu perstitit, indeque ut innocentes à nocentibus, illisque, qui mutuum amorem, illiba- tumque humanæ societatis vinculum turbabant, se- curi essent, præstabat, ut plures familiæ in certam aliquam societatem coirent, eamque legibus, pactis- que ita confirmarent, ut communi jure fruerentur, & membra, imo totam societatem conservarent, vim illatam repellerent, armaque contra armatos & invasuros quærent. Causa hujus rei immediata populus, mediata Deus est, sufflaminabat hanc appet- titus ad societatem, ex indigentia & depravatione  
ortus,

*Origine  
rumpubli-  
caram.*



ortus, adeoque illud Imperium, quod haecenus indistincte omnibus competeat, jam in certam aliquam societatem, quam civitatem, seu Rempublicam appellabis, & quæ finibus terrarum, non numero personarum, qui inconstans, varius, & vagus est, circumscribitur, devolvebatur, ad hanc civitatem arctiorem homines non ultroneus naturæ ductus, sed graviorum malorum evitatio compellebat, necessum autem hic erat, ut insignis hominum multitudo se conjungat, singulique cum singulis de cohabitatione & mutua conjunctione cum voluntatum, tum virium pascantur. Ejus vis est, ut paciscentes una quasi persona, seu unum corpus, sive ut *Cicero de LL* loquitur, unus fiat ex pluribus. Enimvero foetus hic rudis adhuc & informis indigesta moles futura erat, nisi pactum accederet de Imperio & subjectione. In hoc pacto præcedit consultatio & decretum de forma regiminis, sequitur translatio voluntatum & virium in unum sive hominem sive cœtum. Accedit interdum jurisjurandi religio, quod tota nunc Europa servatur.

*Quare potestas stabilita.*

§. IV. Potestas hæc summa justitiæ tuendæ causa constituta: Summum enim summæ potestatis jus est, jura tueri, quo in ipso numine nihil divinius aut sanctius est, quodve id ipsum est, quo Naturæ arbiter ex Sapientissimæ voluntatis suæ regulâ, quodam quasi æquilibrium, rerum universitatem pensitat, & veluti trutina examinat. Hujus sanctissimi juris ipse partem Principibus delegavit, eam scilicet qua terram justitia regerent, hominumque jura vicaria



vicaria quædam Numinis potestate tuerentur. Quod imperium Princeps velut medius inter partes cognoscit statuitque. *Coccejus diff. de jur. Victor. §. 4.* Ad justitiam rite administrandam & per omnes undiquaque partes exequendam triplex potestas necessaria, *legislatoria*, quæ jus statuitur, *Judiciaria*, quæ applicatur, *deliberativa*, quæ is civitatis status constituitur, ut feliciter & cum effectu defendi possit, quæ posterior species politica non juris est, & Aristoteli πολιτικὴ & βουλευτικὴ, ista δικαστικὴ dici consuevit. Huc omnia jura tam circa sacra (quatenus eorum cura ad civitatem pertinet) quam circa profana, quæ infinita, spectant, hæc non indigne ab eodem Aristotele ἀρχιτεκτονικὴ nuncupatur. *Conf. Clapm. de arcanis rerum publ. c. II. n. 32. Bodin. l. 4. de republ. c. 6. l. 7. ff. de LL. ibique Dd. Saverda Symb. 79.* cum vero tam augusta reipubl. negotia, ab uno homine expediri non possint, opus est, a summa potestate constitui ministros, qui ipsius vice controversias civium examinent, vicinorum consilia explorent, milites gubernent, opes civitatis colligant, & quæ plurima alia sat bene a *Seccendorffio* in *dem Fürsten-Staat* exhibita.

§. V. Summa Potestas vel corpori inhæret, quo casu indivisim in toto corpore, vel personæ, vel personis, & tum singulis competit. Summum dicitur, cujus actus alterius juri non subsunt, unde is summam potestatem habere dicitur, qui suo jure & nomine proprio omnia agit. Summum hoc est i. quod omnibus superius est, supra quod nihil poni

*Cui inhæret summa potestas.*

P

potest;

potest; ut unus Rex in regno omnibus prorsus sub-  
 jectis superior est, quemque nulla in hisce terris pot-  
 estas præcellit. 2. Summum dicitur, quo nihil  
 superius, etsi par sit, uti interdum duo interdum tres  
 in Imperio Augusti fuisse leguntur, & tum Impe-  
 rium adhuc vere Monarchicum fuisse docet *Dn. de*  
*Danckelmann disp. de Imper. in Pares corol. 5.* qui-  
 bus inquam nemo superior erat, perinde uti pluri-  
 bus unam metam simul, ubi nullus eorum prior,  
 nullus posterior est, contingentibus, nemo potest  
 dici priori, sed omnes hi demum pares sunt. *Qui in*  
*in priori sensu summum tenet Imperium, is omnia*  
*suo jure facit, qui posteriori, is nihil sine altero ex-*  
*pedire potest, quia uniusquisque heic potestatem &*  
*majestatem in solidum habet, alteroque contradi-*  
*cente nihil agit, majestas sui natura individua est,*  
*publica igitur negotiorum momenta ab utroque ex-*  
*pedienda. Conf. Bodin. 2. de republ. c. 2.* Utraque  
 Summa potestas vel est simpliciter talis, vel limitate  
 respectu quorundam jurium seu personarum. *arg.*  
*l. 1. de act. rer. amot. Aurel. Vict. de Cesar. in Frag.*  
 Specialis summæ potestatis nota atque character est,  
 quando quis jure suo non alieno agit, neque enim  
 potest dici superior, cujus actus ab altero possunt fi-  
 eri irriti, quæ imperium ἀνωκεύδισιον, & ad rationes  
 reddendas nemini mortalium obstrictum est. *Grot.*  
*d. l. Pufend. l. 7. c. 6. §. 1.*

*Summa  
 potestas ex  
 potentia a-  
 gendi non  
 metitur.*

§. VI. Potestas hæc suprema, non ex poten-  
 tia agendi, alias enim validissimi latrones eam facile  
 consequerentur, sed ex causa & titulo metienda,  
 summa



summa etenim Potestas consistit in administratione justitiæ, quæ non requirit robur corporis, sed in æquitate, Justitia & Prudentia absolvitur: deinde hoc Principio, quod validiori naturâ imperium compereret, posito, nihil ad destruendum humanum genus pronius esset, quæle regnum verissima ferini regni imago esset, ea enim ferarum natura est, ut validior infirmio rem premat; in brutis quidem tale regnum consistere potuit, quoniam hæc victu contenta in alia Imperium non quærun t, inter homines vero tale diu durare non potuit, hi enim studiis variis varie agitati, in odia, in inimicitias irrumpunt, gloriaque ac imperandi cupiditate premuntur, & sic, si fortiori jus compereret, quotidie Imperii causa inter se certaturi essent: quoniam cum bruta homines corporis viribus longe superent, sequeretur, brutis in homines Imperium competere; tandem imperium sic facile mutaretur, nec constans sed momentaneum esset, corporis enim robur multis mutationibus obnoxium, & qui nunc fortissimus, alio tempore longe imbecillis existere potest; sicque imperium ab uno in alium sæpe transiret, unde non nisi mera confusio cyclopumque status, ubi nemo audit neminem, qui alias dissociata multitudo dicitur, expectandus esset.

§. VII. Imperium acquiri solet, vel *electione*, qua in civitate introducta, rege priori defuncto, antecedere solet *interregnum*, vel *successione*, quæ vel arbitrio regis vel populi relinquitur. Successio Imperii veteris continuatio est, electio personæ,

*Acquisitio-  
nes imperii.*

successio familiæ cohæret, jus ab electione familiæ cœptum succedendo continuatur, quare quantum prima electio tribuit, tantum defert successio, infra: *vel violentia bellica*, qualis acqvirendi modus occupatio nuncupari consuevit. *Pufend. de off. l. 2. c. 10. de mod. acqu. imper.*

*Forma imperiorum.*

§. VIII. Quantum ad Imperiorum formas, duo proprie Rerum publ. extrema & cardines sunt, siue enim regnum siue respubl. est, media inter hæc innumera esse possunt, vel enim Senatus cum certa optimatum familia rempubl. habent. *conf. Bodin. de republ. l. 2. c. 6.* vel quidam ex populo varii numero ut triumphari, quadringenta viri. Quin misceri potest 1. ipsa reipubl. forma duplex, 2. forma & administratio reipubl. vicaria, siue 3. mixtio plurium administrationum fieri potest. Inde originem trahunt respubl. irregulares, quando v. gr. senatus & populus summo utrinque jure negotia publica tractant, inde systemata civitatum, ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipsarum vires fere pro unius civitatis viribus haberi debeant, quo pertinet fœdus, quod civitates fœderatæ Belgicæ inter se contraxerunt, eadem prope facies est fœderis pagorum Helveticorum: aliud igitur est forma seu summa potestas, aliud exercitium seu administratio, illa jure proprio competit, hanc quis exercet non jure proprio, sed ut tutor summæ potestatis seu ut instrumentum & minister alterius, hinc ei tribuitur aliquando summa potestas, quamvis eam non habeat, mixturam formarum



marum sistit Anglia, administrationum Resp. Romana, formarum ac administrationum Respubl. illæ, in quibus administratio monarchica, forma popularis. *Conf. Pufend. VII. 5. 14. & dissert. de gest. Phil. §. 3. Monzamb. c. 6. §. 9. Bodinus d. l. Gassendus Phil. Moral. p. 1466. Valckenier. im verwirrtett Europa lib. I. passim. Coccejus jur. publ. c. 7. §. 2. & 3. Dn. Danckelmann. d. d. §. 13.*

§ IX. Absurda vero & publice noxia est sententia, quæ majestatem ipsam duplicem reddit, atque aliam realem, aliam personalem statuit, ut adeo summa potestas sine exceptione populi sit, ita ut ei, reges, quoties imperio suo male utuntur, coercere & punire liceat, quæ sententia cum infinitis malis causam det, ita summarum potestatum sacrata jura non poterat non turbare, gravissimisque confusionibus totius reipubl. structuram exponere, quam doctrinam quoque sat bene refutavit *Grotius l. l. c. 3. §. 8.* Summa potestas enim privative in regem translata, nulla ejus particula populo relicta: quadrat huc bene illud *Valentiniani Imperatoris responsum*, allegatum a *Grotio ex Sozom. histor. eccles. l. XVI.* Ut me ad imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, o milites, aut postquam me elegistis, quod petitis in meo arbitrio est, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi quæ facienda sunt cogitare; Neque, quod quoad contrariam sententiam allegatur, speciem habere videtur, quod sc. regimen omne eorum causa qui reguntur, non qui regunt, comparatum sit, at imperium justitiæ tuen-

*Divisio  
Majestatis  
in realem,  
& personalem  
nulla  
est.*

tuendæ causâ constitutum, Princeps propter rem-  
publ. est, sub qua tamen ipse tanquam nobilius mem-  
brum continetur, nec quæritur hic, quid nobilius sit,  
sed de jure saltem exequendi. *Kircher. de Republ. d.*  
*2 §. 3. Althus. pol. c. 9. §. 24. refutarunt quoque eam*  
*Puf. 7. 6. 4. Clasen. pol. III. 2. Graswinckel de jur. Maj.*  
*c. 10. 11.* Illa igitur omnino rejicienda sententia,  
quod ubiqve & sine exceptione summa potestas ex-  
istat penes populum, quod *Monarchomachi* volunt,  
quorum Princeps *Stephan Junius Brutus vel potius*  
*Hubertus Languetus, quem satis refutat. Pufend. de*  
*J. N. & G. 7. 6. 56.* Aut saltem, quod mutua Regis  
aut populi subjectio sit, ita ut populus univèrsus  
Regi recte imperanti parere debeat, Rex autem male  
imperans populo subjiciatur: nisi tale regimen con-  
stituatur, tum enim expressa instituitur Imperii  
partitio, suisque limitibus definitur *Vasq. contr.*  
*Illustr. I. I. 10.*

**Cautela**  
circano-  
mina Ro-  
gna.

§. X. Cavere omnino fas est, ne decipiamur  
ambiguo nominis sono, aut rerum externarum  
specie, quod contingeret illi, qui vel ex titulis impe-  
rantium, vel comitiis ordinum, vel delatione Impe-  
rii dijudicare hoc sustineret *Bodin. de Republ. l. 8.*  
*Grot. I. c. 3. 5. 11. & 12.* Multis autoritas svadendi non  
potestas jubendi competit, alii sunt majus Regis con-  
siliium, per quod querelæ populi, quæ sæpe in confi-  
storio reticentur, ad Regis aures perveniunt. Alii  
jus habent de actis principum cognoscendi, atque  
etiam leges præscribendi, quibus Princeps teneatur.  
*Ziegler. d. I. Maj. l. 1. c. 31. n. 61. Hobbes, Leviathan,*  
*c. 19.*

c. 19. *Kulpif. colleg. Grot. p. 16.* Distinguenda quoque summitas Imperii ab habendi plenitudine, aliud enim est de re quærere, aliud de modo habendi *Dn. Becmann. pol. p. 73.*

§. XI. Falsum vero esse videtur, quod regnum sit in patrimonio vel usufructu, proprietas enim & ususfructus consumendi & abutendi potestatem complectitur, quæ facultas in se, dum quis suo jure utitur, injusta non est, ususfructus ipsius Domini, imperium Reipubl., non imperantis gratia constitutum est: Ususfructus ad heredes transit, imperium non; Usufructuarii heredes possunt repetere omnes impensas, quas usufructuarius ad rem conservandam & meliorandam impendit, unde consequens esset, heredes Regis omnes impensas, quamvis ex tributa populi factas, revocare posse, quod tamen experientia quotidiana reclamare videtur, tributa insuper ut plurimum in commodum Regis non Reipubl. solvuntur. Id verum est, quod in regnis bello acquisitis plenior principi potestas disponendi, consentiente in id, aut connivente populo, relinqvatur, quæ id operabitur, ut civium conditionem pro lubitu ordinet, ac modum succedendi ex arbitrio suo introducat, cum ex adverso in regno non patrimoniali in his omnibus populi consensum teneatur adhibere, nec eo invito quicquam circa internam regni structuram ejusve in alium translationem disponere possit *Pufend. VII. 6. 16. 17. Textor. Syn. I. Gent. c. 9. n. 27.* ut adeo, quamvis improprio sensu dominium pro imperio accipi possit, soleatque, sicque non  
ita

*Malo dicitur regna in patrimonio vel usufructu esse.*

ita magnopere nomini repugnemus, tamen cum ex verborum significatu res explicentur, & consequentiæ inferantur, nihil proclivius, sed & nihil in re, tanta in primis periculosius est, quam nativi sensus consuetudine seduci, & insensibiliter quoque ad erroneas conclusiones, atque a justis finibus ad dominii abusus deflectere. *Conf. l. 215. ff. de V.S. Liv. lib. 1. cap. pen. & pass. Dn. de Danckelman. diss. de Imperio in pares. §. 6.* utraque regna tam patrimonialia, quam usufructuaria impugnat. *Brutus. vind. contr. Tyrann. qu. 3. p. 185. & 205.* existentiam demonstrat, *Grotius l. 3. II. 12. & 13. Hobbes. de civ. IX. 12. 13.* id quoque verum est, principes, regna ex empto alioque titulo acquirunt, hæc eodem titulo in alios transferre posse.

*Principes  
regna non  
alienant.*

§. XII. Reges principesque regna alienare non posse, vix dubium est, principes ad Rempubl. conservandam constituti, unde & Tutores, non, Tollitores regni sunt, qui alienat non conservat, neque tueretur, sed perdit *l. 3. de Offic. proc. cas.* alienatio & administratio invicem opponuntur, inde istiusmodi alienationes a successoribus revocantur; exc. 1. Si alienandi potestas concessa. 2. Si moribus hoc obtineat. 3. Si Respubl. aliter se conservare non possit. Et tum, quando populus alienatur, non ipsi homines, sed jus perpetuum eos regendi alienatur, Inde quoque quamvis Rex suis sumptibus bellum gesserit, Ei tamen non, sed Reipubl. acquiri videtur. Nam omnia, quæ bello acquiruntur, ei acquiruntur, qui jus belli habet, atque non familia principis jure privato,



privato, sed Respubl. cujus pars & caput est Princeps, qui eam repræsentat, Jus Belli habet. Unde sequeretur, in statu Aristocratico vel Senatui, vel uni forte civi propriis sumptibus bellum gerenti acquiri debere. *Dn. Cocc. disp. de Just. B. & P. regn. Port. p. 48.*

§. XIII. Frustra quoque Rex successori sive infanti sive impuberi Tutorem dat, homo in hominem nihil juris habet, nemo enim alteri subjectus est, naturali jure soli Parentes sunt Tutores, quævis mortuis, evanescit tutela, non enim sive testamentaria, sive legitima est juris naturalis, cum nec testamenta nec successiones ex hoc jure sint. Optimum tamen foret, ut ad bella declinanda, multasque, quæ non poterant non oriri, confusiones tollendas, de tutela publica aliqua lege caveatur; quæ posita, agnato primum ad tutelam jus est ob spem successionis proximam *Dn. de Prinzen disp. de tutel. Person. Illustr.*

§. XIV. Quantum ad Principum obligationes, easque quidem, quæ summam potestatem infringunt, notandum est, quod duplex sit Principum obligatio, altera ex lege Superioris, altera ex conventionione, illa infert subjectionem, hæc non, nisi pacto quis remittat id, quod rationem Summæ Potestatis constituit: Ex lege superioris quis tanquam inferior obligatur. Quando vero Princeps se obligaverit, quod gravissima, quæ suscipit, negotia cum subditis communicare, quod ultra consveta onera subditos non onerare, nec bella sine optimatum consensu gerere velit, majestatem suam illibatam servat, neque enim potestas Principis ibi impeditur, sed tantum

*Non datur  
tutela Re-  
gum.*

*Duplex  
obligatio  
principum.*

Q

tum



tum ex placito ipsius Principis exercitium juris limitatur. Sed nec in tali civitate duæ existunt voluntates, nam utiqve omnia quæ vult civitas, vult per voluntatem Regis, etsi limitatione ista fiat, ut non existente certâ conditione, Rex quædam non possit velle, aut frustra velit. *Pufend. l. 7. c. 6. § 10. II. aliter Hobbes. VII. 17. Velth. de Princip. Just. & decor. p. 998. Lampad. de Republ. Germ. part. 1. §. 59. atque hic Bæcler. & Conring. in comment. idem Puf. dissert. de Gestis Philippi §. 3. seqq. & dissert. de Republ. irregulari.* Quin & lex commissoria non tantum in regni delationibus adjici potest, sed & in aliis contractibus, nam ne sic quidem imperium desinet summum esse, sed erit habendi modus imminutus per conditionem. *Grot. d. l. §. 16.*

*Capitul.  
non infrin-  
gunt sum-  
mam pote-  
statem.*

§. XV. Ita capitulationes pactionesve, quibus immensa potestatis jura coarctantur, majestatem Principis non evacuant aut absorbent, uti *Bodinus a Reinkingio l. 1. Class. 3. c. 9. n. 8.* relatus, sinistre suspicatur, sed eandem limitant aut determinant, pertinent enim ejusmodi pactiones ut plurimum ad salutem imperii, ex qua ipsius imperatoris autoritas, salus & felicitas dependet. *Strauch. diff. jur. publ. 10. 28. Stamler. de reservatis §. 8. Limneus l. 12. 36. & ad capit. Proleg. sect. 8. n. 22. Coccejus jur. publ. c. 1. §. 4.*

*Fœdera  
inaqualia  
summam  
potestatem  
non tollunt.*

§. XVI. At nec feuda, nec inæqualia, quæ inter Principes ineuntur, fœdera summam potestatem vel infringunt, vel tollunt, illorum firmitas ex contractu est, exhibitio enim fidei & servitorum præstatio cum feudali Jurisdictione non procedunt ex  
cogen-



cogente aliquo imperio, sed ex initis inter utramque partem placitis *Hennig. ad Grot. lib. I. c. 3. §. 23. Vinnius de Jct. c. 3. §. 6. Bodinus de Republ. l. 9. conf. l. f. ff. de Offic. ejus cui mand. Jctio.* Neque tamen ideo vasallus fit subditus, & Dominus, etsi vi jurisdictionis suæ feudalis judicium quasi ordinarium in Vasallos exerceat, quod dicitur *das Lehn oder Mannen-Gericht* & curiæ ejus feudali cohæreat *I. F. 10. 2. F. 15. 16. 20. 34. Vasalli magistratus est. conf. Carpz. l. 4. Resp. 70. n. 24. Dn. de Danckelmann. d. d. §. 37.* Horum vis itidem ex pacto est, quo alter alteri operam, alter vero præsidium & tutelam pollicetur: formæ horum variæ sunt, quæ tamen summam potestatem minime vel tollunt vel minuunt, sed ex vi pactiois manentem quandam alteri prælationem donant, solennis ejus formula est *in l. 7. ff. de capt. & post. rev.* Quando alter alterius majestatem comiter conservare tenetur, ad quod genus referenda sunt jura quædam eorum, quæ vocantur protectionis, advocatiæ, mundiburgii; ut adeo nihil quicquam heic decedat juri status & territorii, neque alteri propterea subiciatur, verissimaque adeo vox est *Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit Carpz. ad l. Reg. c. 6. sect. 5. n. 10. Conf. Grot. l. 1. c. 3. §. 21. Cic. in orat. pro Balbo c. 16. Mart. Mager. Schonberg. de advocatia armata,* fœdus ergo tale, tametsi alterius honorem, dignitatem afficiat, nequaquam summam potestatem infringit, secus si alterius quoque potestatem concernat *Alb. Gentil. de Jure belli III. 16.* Unde fœdera hæc inæqualia alia cum, alia vero sine

diminutione imperii alterius contracta, prout *Puf.* 7.5. 18. intelligendus: *aliter Zieglerus p. 197.* Multo minus Rex iste, qui stipendium aliquod pensitat, summam diminuit potestatem. *Bæcler. ad Grot. p. 262. Selden. VI. 17.*

*Quid S. Pot. possit?*

§. XVII. Summa potestas omnia ista facere potest, sine quibus justitiæ administratio & executio expediri nequit, judicium ejus rei sive justa sive injusta, soli competit Principi. Ut autem subditus obligetur, requiritur, 1. res in ipsius potestate sit. 2. Congruat intellectui humano, quando igitur ultra fines hosce Princeps quid mandat, si quid imperet, quod naturali juri aut divinis præceptis contrarium, an & tum subditi obligentur quæri poterat? putamus eequidem subditos heic abstinere non solum jure posse, verum & debere, Deo enim magis quam hominibus parendum. *Conf. Act. V. 29. Grot. L. 3.9. & 4.1. II. 26. 3. Gerbard. de Magistr. pol. n. 399.* Cæterum de jure bellandi subditorum in Principes non minus ardua quam periculosa quæstio est, mirum in modum inter varios Scriptores *Thuanum & Gramondum* in Gallia, *Salmasium & Miltonium* in Anglia, agitata, inter Monarchomachos, qui hoc dogma tetigerunt, excellunt *Hotomannus, Seseilius, Brutus, Buchananus, Althusius* aliique plures, quorum perverfis dogmatibus se opposuerunt præter *Arniseum, Albericus Gentilis & Job. Barclajus integris libris. conf. Kulpis. p. 19. & 20.*

*Inviolabilitas imperantium.*

§. XVIII. Vera omnino sunt, longeqve præstantia, quæ de Principum inviolabilitate Autores passim



passim referunt, scilicet aduersus Regis injurias nul-  
lam populo relictam potestatem, quod veteres ex illo  
Psalmi colligere videntur, Tibi soli peccavi. Hebræi *Barnachomoni* sententia extat in dictis Rabi-  
norum, titulo de iudicibus, quam *Grotius* citat, nulla  
creatura iudicat regem, sed Deus benedictus. *Ari-  
stoteles* inquit, si magistratum gerens aliquem ver-  
beraverit, reverberandus non est; graphice quo-  
que monente *Apostolo ad Rom. XIII.* Qui obstitit  
potestati, Dei ordinationi obstitit, tum vero qui ob-  
sistunt, sibi ipsis condemnationem accipient, addit,  
Dei enim minister est, qui potestate fungitur tuo bo-  
no: bene *Tacitus Annal. XVI. Hist.* ferenda Regum  
ingenia, & alibi, bonos imperatores voto expeten-  
dos, qualescunque tolerandos, interventu melio-  
rum eos pensari, Imperium sacrosanctum & invio-  
labile ab omnibus haberi, generis humani maxime  
interest *Diod. sicul. lib. 1. c. 9.*

§. XIX. Ast tamen magistratus & Princeps is, *Limitatio.*  
qui certos & notorios imperii terminos excedit, in-  
quod excedit, privatus, imo hostis est, unde in hoc  
cessat obligatio, in cæteris non, pulchre ait *Sen. lib  
II. contr. 9.* Etsi parendum in omnibus patri, in eo  
non parendum, quo efficitur, ne pater sit: jus defen-  
dendi se contra notorias injurias lege naturali uni-  
cuique contra unumquemque competit; hoc jus  
quoad bona auferri quidem potest, neutiquam  
quoad vitam. Magistratus in universonum desinit,  
si excessus is plane notorius generalis sit, vel quoad  
actiones suas, vel quoad actiones civium, aut con-  
cer-



cernat aliquam partem status publici, aut ea lex dicta sit, non vero sufficit, si dubitetur, an excessus sit, quando enim res non est notoria, iudice opus est, quod tamen iudicium principi competit. *Grotius d. l. §. 8. 9. 10. II. conf. itinerar. Job. Moquet. l. 4.* Contra has injurias publicas jus defendendi competit populo, vel ei, qui populum repræsentat, defensio enim regni non est cujusvis privati, neque præcisè totus populus necessarius est, sed sufficit major pars. Hoc jus lege publica ei auferri nequit, quoniam talis lex in Tyrannidem coincideret. Bene autem iudicat Pufendorffius, difficillimum esse designare actiones, ob quas patratas jure quis mereatur vocari Tyrannus. Excedit autem Princeps notorie notorios imperii terminos. 1. Si jubet contraria præceptis naturæ, virtuti. 2. Si imperium extendat ad ea, quæ non sunt in arbitrio humano, utpote res fidei & intellectus, inprimis vero homines cogendo, ut in causa divina simulent, & profiteantur aliter se sentire ac sentiunt. Hoc factò continentur manifesta in Deum crimina mendacii, falsi, hypocriseos, doli, blasphemiarum, & læsæ majestatis divinæ. Huc vero inprimis spectat, si im mittit hostem terris suis, si contra cives bellum gerit, si leges status publici causa latas infringit & evertit, si promiscue, non attenda justitia, sævit in cives, quin si nulla amplius in Re- publ. jura salva tutaque sint; quemadmodum igitur unusquisque se contra invasorem defendere potest, ita etiam civitas contra hostem, qui desit magistratus. *Conf. l. 3. ff. de J. & J. Herod. l. 2. c. 14. Aurel. Victor.*



*Victor. de cesar. l. 2. c. 2. Molina de just. tom. 4. disp. 7. Dn. Coccejus disp. de Us. & diff. bod. pact. & stipul. corol. 5. 6. 7. Cavendum tamen, ne vitæ Principis vis inferatur, nec cuivis privato hic jus quoddam concedatur. Hinc si quis in extremis angustiis constitutus, unde sine Principis invadentis interneccione eluctari non possit, eoque in casu occidi, quam Principem occidere malit, is sane rem omnis humanitatis virtutisque plenissimam efficit. Conf. Thom. Hurtad. moral. resol. 17. p. 18. Grot. l. I. c. 3. §. 8. n. 14. c. 4. §. 4. l. II. c. 1. §. 9. ibi Osiand. & Ziegler. disp. nostr. de jur. hum. cap. 1. §. 14.*

§. XX. Quantum ad imperii invasorem, per quem privatum seu Tyrannum, jus belli gerendi non habentem, intelligimus, rectè sentit Grotius, licere populo ac ex eo singulis resistere, raptoremque vi dejicere, ac denique occidere, si vel ante invasionem lex publica, tale quid permittens extiterit; vel expressa jussio ejus, qui jus verum imperandi habet, accedat, aut invasor in actu invasionis adhuc occupetur; (Hic Tyrannus in acquisitione dicitur) nisi tandem totus populus in ejus gesta, vel expresse, inito scilicet cum invasore pacto, vel tacite consenserit, tum enim hæc non ex se, sed populi approbatione firmitatem capiunt; omnino enim probabile est, eum, qui jus imperandi habet, sive is sit Rex, sive Senatus, id malle, interim rata esse, quæ imperantur, quam legibus judiciisque sublatis summam induci confusionem *Grot. de J. B. & P. l. l. c. 4. §. 15. & II. 4. II. & 15. II. 13. 15. II. 16. 18. Gerbard, de Mag. pol. n. 468. disp. nostr.*

*Quid juris  
in imperio  
invasore*

*nostr. de contr. summ. pot. c. 2. §. 10.* Tyrannus in exercitio est, qui imperium legitime acquisitum male administrat, actus vero ipsius, quatenus Rempublicam, non evertunt, omnino subsistunt.

*An Rex regno dejectus summam Potestatem retineat.*

§. XXI. Rex regno ejectus a Tyranno privato summam potestatem retinet, licet populus in hunc Tyrannum consenserit. Populus enim suo pacto, nec jus regis ejecti tollere, nec in præjudicium regni quicquam disponere potest; secus si alter Princeps alterum Principem dejecerit; nam quoniam hi alium judicem non habent, bello res decidenda est, ideoque cives belli victoriam sequi debent *Dn. Coccejus d. d. de I. B. & P. Regn. Port. p. 67.* nisi & hic Tyrannus, ejusque excessus notorius sit.

*Officia Imperant. & Parent.*

§. XXII. Aliæ quæstiones regulæque de officiis summorum imperantium ad politicam spectare videntur, quas compendiose satis contraxit adornavitque *Pufend. de offic. H. & C. integro capite & op. maj. l. 7. c. 9.* Præterea sparsim quoque hæc persequuntur *Illustr. Dn. Cancell. de Jenæ & Dn. de Secendorff.* Ille in tractatu *de ratione status, Hic in den Teutschen Fürsten. Staat.* Summa generalissimaque summorum imperantium lex est, salus populi suprema lex esto, ad quem finem rite obtinendum cives bonis moribus imbuendi, commodæ leges ferendæ, eadem executioni dandæ. Pænæ recte temperandæ, injuriæ civium mutua prohibendæ, idoneis & probis ministris utendum, tributa recte exigenda & collocanda; facultates civium promovendæ, factiones prohibendæ, adversus invasions exte-



exterorum vires parandæ. Subditorum vero officium in eo potissimum constare videtur 1. Reſtoribus civitatis præſta reverentiam, fidelitatem, & obſequium. 2. Salute & incolumnitate totius civitatis nihil habere carius, 3. cum concivibus vive pacate & amice.

## CAP. VIII.

DE

### *Contractibus Summarum Potestatum.*

§. I.

**P**incipum summarumque potestatum contractus nullam aliam decisionem capiunt, quam ipsi privatorum contractus; in proverbium abiit decantata Doctorum sententia, quod Princeps in contractibus privatorum jure utatur. *Bodin. de republ. cap. 8. Zas. ad l. 2. n. 10. de O. I. Sixtin. lib. 1. de Regal. cap. 5. n. 35.* Casta etenim fidei sanctimonia omnes omnino homines tenet, jurisque per contractum in alterum translatio ad sui præstationem plenissimamque executionem & Principes & Privatos æquo jure stringit. Cum vero Principum contractus, fœdera, alienationes, aliam longe præ privatorum contractibus in multis faciem habere videantur, speciali quodam capite ea tangenda erant.

*Princeps in contractibus utitur jure privatorum.*

§. II. Inter publicos contractus eminent fœdera, hæc sunt conventiones de re publica, inter personas, quæ paciscendi facultatem habent, initæ, publicæ

*Fœdera quid.*


R per-



personæ hic veluti privati considerantur, qui de re sua disponunt: de fœderibus plena est tota *Besoldi & Wabremundi Ehbrenbergii dissertatio. Conf. Grot. lib. 2. c. 15. Pufend. VIII. 9. Textor. c. 23. 24. 25.* A fœderibus differunt sponsiones, hæ autem fiunt, quando hi, qui à potestate summa mandatum ejus rei non habent, aliquid promittunt, quod eam proprie tangat, uti plerumque ii, quibus ut bellum gerant commissum, faciunt. *Conf. Obrecht. dissert. de sponsor. pac. c. 1. §. 5. Textor. c. 23. §. 5.* fœdera fiunt, aut pacis, aut societatis alicujus causa, quæ vel ad commercia, vel belli communitatem, vel ad res alias pertinent, vel sunt cum imminutione summi imperii vel sine tali, de quo cap. præc. alia æqualia, alia inæqualia, alia quoque fœdera sunt, quæ continent id, ad quod lege naturali jam tenebamur, quæ fœdera cautionis instar & stipulationis sunt, nec novam in se producunt obligationem, sed veterem firmiter jam tum in naturali lege radicatum confirmant, perinde, uti obligationi, tamen si perfectæ, juramentum quoddam accedere potest, de quibus plenus est *Grotius d. c. §. 5. 6. 7. Pufend. VIII. 9. 1. 2. 3. 4.*

*Fœdera  
contrahere  
licet etiam  
cum infide-  
libus.*

§. III. Fœdera omni jure licita esse, unanimis JCtorum & politicorum calculus approbat, omnia enim ista subsidia Principi permixta sunt, quæ ad tranquillitatem utilitatemque Reipubl. pertingunt, nullius enim populi tantæ videntur vires esse, ut distare possit atque florere, nisi finitimorum munitus sit amicitia & societate. Unde facile constat, vix dubiâ esse quæstionem, anne fœdera cum his, qui à vera religi-



religione alieni sunt, contrahere liceat. Fœderum enim fides ex legibus naturalibus, & liberrima nostra dispositione dependet, illibatum hujus juris vinculum inter omnes omnino homines commune, & sic rectissime ad infideles etiam extenditur, nihil quoque est commune fœderibus cum materia religionis, fœdera enim fiunt de eo, quod Reipubl. est, quod in religione non est. *Grot. d. l. §. 7. Reinking. Reg. Sec. lib. II. Class. III. c. 3. n. 33. Limneus ad cap. Carol. 5. art. XI. Matth. Cuno de pact. l. I. cap. 22. num. 47. Octaviani Cacherani peculiaris tractatus, an Principi Christiano fas sit, cum infidelibus fœdus contrahere*, virtuosius tamen, longeque humanius est, ab hisce fœderibus abstrahere. *Kulpifias hic late: disput. nostr. de jure humanior. cap. I. §. 17. & de Jure Corresp. cap. 2. §. 6.* minus Christianum erat Christianissimi Regis contra Christianos cum Turcis initum fœdus; Quæ heic Grotius de faciendo inter Christianos populos universali fœdere, instituendisque inde contra professos Christiani nominis hostes sacris expeditionibus, quas passagia vulgo vocant, adducit, pia quidem, omnique laude plenissima, sed vix speranda sunt, ipsis Christianis in mutuum sui destructionem non raro conspirantibus. *Conf. Bongarsii Tract. Gesta Dei per Francos. Bœcler. annot. Hist. de passagiis p. 3.*

§. IV. Principe cum multis principibus fœdera contrahente, quis fœderatorum præferendus sit, quæri merebatur? si promissum in fœdere utriusque præstari possit, v. gr. pecunia, res expedita, quo

Fœdere cum pluribus inito quis præferatur? Quæ



cessante, antiquiori jus quæsitum esse autumamus. Cum enim semel priori huic confœderato fides data, ab hâc, quæ firmiter radicata est, obligatione, alter se eximere nequit, excederet enim legitimos facultatis suæ terminos. Qui prior tempore, prior jure. Neque hæcenus *Grotii in §. 13.* sententia videtur admittenda, quasi is, qui justiore causam fovet, præferendus sit, fœderum enim obligatio ex conventionone, non ex justitia causæ nascitur, neque enim in potestate fœderati est, judicare, quis justam, quis injustam teneat causam, fœderatus enim non tenetur auxilium ferre, ut judex, seu ut superior, sed ex data fide. Quando vero prior fœderatus causam notorie injustam foveat, nulla hæc mittendi auxilia obligatio est, ubi enim notoria injustitia, ibi non bellum sed latrocinium est; & quamvis confœderatus non sit judex, facilis tamen responsio est, quod in re notoria non opus sit judicio, secus in re dubia: aliter *Grotius d. l. n. 13.* cujus sententiam hæc approbat *Pufendorff. II. 9. §. 5. Albericus Gentilis de jur. Belli III. 10. p. 637. septem. conclusionibus rem hanc definire voluit.*

*Quomodo  
desinant  
fœdera.*

§. V. Solvuntur fœdera lapsu temporis adjecti, neque tacite renovatum intelligitur fœdus; extincta enim obligatione, nova obligationis declaratione denuo opus est. *Conf. Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 5. §. 14. Textor. c. 25. n. 17.* Unde fœdus tacite factum esse præsumi non debet, quamvis etiam actus talem interpretationem recipere videantur, cum hæc novam apertamque requirant dispositionem. Violato fœdere, non tollitur fœdus, sed obligatio nascitur ad im-





implendum, delictum enim unius alteri imputatam ad deserendum fœdus conciliare non potest; quare quando rumpens conditionibus promissis satisfacere recusat, incipit vis armorum. Fœdera autem alia sunt, quæ connexionem habent, alia, quæ separatam in singulis capitibus obligationem producunt; quamvis ergo in his posterioribus quædam fœderis capita rumpantur, ideo tamen reliqua, cum separata sint, adhuc valebunt, quod ipsum à fœderatis ut plurimum caveri solet, persæpe quoque caveri solet, ut, licet in uno capite fœderi non fuerit satisfactum, reliqua tamen inviolata servantur. *conf. Grot. de B. & P. l. 2. c. 15. §. 15. Matth Cuno de pactis c. 22. n. 86. qualis clausula in pace Dano Svecia Rotscildiana legitur.*

§. VI. Sub fœderibus successores quoque continentur, Princeps enim hæc non ut Privatus, sed ut Primarium Reipubl. caput contraxit, ipsaque Respubl. hæc contraxisse videtur, Respubl. æterna est, Princeps non moritur, nisi (1.) aliud dictum, ne sc. ad successores transeant. (2.) Si specialiter ad personam Principis contrahentis videantur directa, ejusque adeo personæ limites non egrediantur, sive id ob amicitiam intimam, sive ob cognationem, sive ob aliud vinculum arctissimum fiat. *disp. nostr. de contr. summ. pot. c. 2. §. 16. Joh. Labar deus hist. de reb. Gallie. l. 5. p. 74. 45. Pufend. de F. N. & G. l. 7. c. 9.*

§. VII. Si fœderis observatio Reipubl. perniciofa valde foret, an nihilominus Princeps ad observandam eam adstringatur, disquiri meretur, distinguimus

*Successores  
sub fœdere  
continentur.*

*An Princeps teneatur si fœderis obligatio reipubl. damnosa.*

gimus hic, utrum Princeps plenior de Regno disponendi facultatem habeat, uti in Regnis bello quæsitis plerumque contingit, & tunc illum tali fœdere obligari censemus, an vero jure Regni pro totius Reipubl. salute imperet, quo casu ipse sua pactio-  
ne universonum saluti præjudicare non potuit, sed potius vel potestas consentiendi, vel verus consensus, re scilicet non satis intellecta, deficit. *Conf. Camden. sub. anno 1585. & 1595. disp. nostr. de contr. summ. pot. c. 2. §. 17.* Neque ad talem causam Princeps videtur se obligare potuisse, qui ad tuendum non perendum constitutus.

*An subditi  
fœdera faci-  
ant.*

§. VIII. Fœdera facere subditi non possunt, nisi (1.) contra Tyrannum (2.) pro defensione necessaria, ut si Princeps tam impotens sit, ut populum amplius defendere non possit, talis vero necessitas locum habere videtur, (1.) si aliud non supersit remedium, (2.) si notoria injuria illata, (3.) si religioni vis fiat. (4.) Si participent de summa potestate (5.) ex mandato saltem tacito. Huc trahi potest famosum illud fœdus Schmalcaldicum, quod tuendæ conscientiæ causa contractum, atque, excepto imperatore & imperio, diserte contra vim injustam conceptum fuit, & unio Hallensis an. 1610. Halæ Svevorum inter Evangelicos inita: Non potest autem vis ulla injustior, & quæ magis & manifestius excedat notissimos humani Imperii fines intelligi, quam quæ conscientis infertur, adeoque nec ulla justior defensionis causa. *Conf. Schleid. de statu relig. lib. 8. ad ann. 1531. p. 211. Hortleder. in discurs. Acad. qui est 26. Inter discurs.*



*discurs. Academ. Arumæus tb. 14. Carpzov. adl. Reg. c. 6. sect. 8. per tot. Dan. Otto de jur. publ. cap. II. p. 390. Dn. de Danckelman. disp. de Imper. in par. es. §. 29.*

§. IX. Fœdere constitui potest jurisdictio in sua membra, disponunt enim de jure suo, alteritusque jurisdictioni se submittunt, exemplum est, si plures status fœdere Jctionem constituent, vel si curam fœderis ejusque executionem uni, vel pluribus committant, qui in re fœderis imperium aut potestatem exequendi in reliquos consequitur, (Hi interdum *Garais* dici solent,) & caput ac Dux fœderis dicitur, neque tamen, uti supra, ideo reliquis potestate superior, vel hi subditi ejus fiunt, sed liberi manent. Neque desunt exempla, quibus ex fœdere plenum Imperium constitutum est, integra tamen salvaque libertate & potestate, exemplum *in fœdere Svecico, de quo conf. Sleid. de Stat. Rel. l. 4. in f. Strauch. diss. jur. publ. 10. §. 4. seqq. Dn. de Danckelmann. disp. de imperio in pares. §. 16. 17. 18. 19.*

§. X. Quot fœderum, tot sponsionum possunt esse materiæ. Si sponsores spondeant Principem suum hoc facturum, eo casu, nec ipse, nec Princeps tenetur. Aliud si spondeant, se velle obligatos esse, nisi Princeps suus hoc faciat, quo posteriori casu satisfactum obligationi, si sponsor se restituat in pristinum statum. Quando vero improbatur à Rege, vel civitate sponsio, in quid teneantur sponsores quæstio sat famosa est, ad quam decidendam tres opiniones refert Grotius, quarum novissima verior, sponsores scilicet bona primum ad id, quod inter-

*An Jurisdictio in alios fœdere constitui possit.*

*Quid Juris in sponsionibus.*



est, &, si ea non sufficiant, corpus ad servitutem obligari. Ex notitia & silentio summas potestates non obligari, vix dubium est, nisi ideo eas tacuisse appareat, ut approbent negotium. Quod ita exprimit Grotius, si actus aliqui accefferint, qui ad aliam causam probabiliter referri nequeant, tum recte intelligi actum esse rati habitum.

*Imperium  
an alienetur.*

§. XI. Succedit objectum istud & res, de qua summa potestates contrahere possunt: certum est, Imperium vel partem Imperii alienari, & per contractum devolvi non posse; Imperium in Principis marisupio non est. *Bald. in cap. 1. Intellectu X. de jurejur. Olrad. conf. 94. Fas. in l. debitorem 7. C. de pactis*, id tamen largiri potest, si Rex titulo privato v. gr. empti vel donati regnum jure acquisiverit, tum jus ita jure quaesitum, eodem modo iterum alienari potest. *Conf. Dn. Coccej. disp. d. I. B. & P. Regn. port. q. 1.* Si quoque regnum belli jure quaesitum sit, pleniorum quodammodo facultatem de Regno disponendi tribuimus, quae tamen ad excessum neutiquam pertinet, Reges sunt tutores ad tuendum populum dati, qui alienat, non administrat, unde in legibus civilibus illis, quibus sola administratio concessa, non statim alienatio permittitur, qui alienat, perdere censetur. *Conf. l. 3. C. de offic. proc.* Principatus non ad dominorum, sed subditorum commoda inventi. *Vultej. Conf. 35. n. 141. vol. 3. Vasq. 1. Contr. illust. c. 30. n. 2. §. 2. cap. 29.* Duo sunt casus in quibus alienatio haec permittitur, si (1.) ex necessitate & (2.) utilitate publica contractus hic celebratus, regula enim est, quod



quod omnia illa, sine quibus pax & publica tranquillitas promoveri nequeunt, Principi natura indulta sint, & tunc alienatio hæc sub administratione imperii continetur. Neque quoad alienationem partis, consensus illius, quæ alienatur, partis requiritur, neque etiam opus est, ut partis hujus aliqua subsit utilitas, in casu enim necessitatis potior est ratio totius, quam partis, cum satius sit, ut abscindi se patiatur pars, quò conservari possit corpus reliquum, quam ut pereunte toto pereat & ipsa. *Conf. Ziegler & Osland. ad Grot. l. 2. c. 6. §. 4. Myler. ab Ehbrenbach. nom. l. 8. §. 2.* Pacta vero ex necessitate inita, hac evanescente, neutiquam cessant, frustra impieque dissentiente Machiavello, qui credit, non chartas aut scripturas, sed vim & necessitatem Principem ad servandam fidem adstringere. *Conf. Machiav. de Principe. Cassan. es recherches des droits de France l. 1. c. 5. p. 293. Petr. Gregor. Tholos. de Rep. l. 24.*

§. XII. An Princeps minorennis læsus restitutionem in integrum petere possit, inter Dd. Juris Nat. disputari consuevit, negativam hic statuimus, nisi Rex fuerit impubes, tum enim talis ipsi restitutio indulgenda erat; aut enim Rex, vel tutore vel curatore autoribus contraxit, & cessat restitutio, cum nemo alias cum administratoribus regni contracturus fuerat, aut cum alio æque absoluto Principe, & adhuc cessat restitutio, aut cum privato contraxit, ubi eodem jure ac privatus utetur Princeps, arbitris eo nomine statutis, qui, quatenus ipse ex calliditate alterius & lubricum ætatis læsus fuerit, judicent.

*An restitutio in Principibus locum habeat.*

S

*Conf.*

*Conf. Ziegler. & Feld. ad Grot. l. 2. c. 14. §. 1. Conring. de Finib. c. 19. §. 8. Alb. Gentil. de I. B. III. 14. p. 598. Pufend. IIX. 10. 2. Si vero Princeps arbitrorum iudicio stare nolit, creditoris quidem jus hic declaratur, exactio vero sequi non potest. Grot. d. l. §. 6. & spars. flor. p. 277. Hobbes VI. 15. Pufend. VIII. 10. 6. Strauch. de constit. Princ. tb. 38. Ziegler. de jur. Maj. l. 1. c. 31. n. 22.*

*An Successores ex contractu Antecess. obligentur.*

§. XIII. Quoad successorem, quatenus is ex contractu antecessoris obligetur, notandum est: Si Princeps antecessor intra justos administrationis terminos contraxerit, successor qualiscunque indistincte tenetur, quamvis etiam antecessor in re dubia contraxerit, modo non ex errore & inconsulte transegerit, talis enim contrahendi potestas sub Imperio comprehensa est, quod nec in infinitum protrahi, nec ad angustias nimias coarctari debebat. Qui enim ad publicam utilitatem & dignitatem celebrati sunt contractus, in seram redundant posteritatem, quod confirmat *c. si gratiose de rescript. in 6to R. l. de anno 1555. §. Solches u. jedes wie obgeschriben conf. Mant. de tac. & ambig. conv. l. 27. t. 5. n. 1. Grot. d. l. 5. 10. II. 12. Pufend. VIII. 10. 8. Carpz. de Leg. Reg. c. 3. §. 13. Arnisæus de j. Maj. l. 1. c. ult.*

*Quid juris si Princeps vel publico nomine contraxerit.*

§. XIV. Omnis successor ad illa, quæ respectu regiminis & imperii contracta sunt, aut quæ publicam causam concernunt, obligatur, quæ vero Princeps ratione privati patrimonii contraxit, ex eo soli hæredes obligati sunt. Sin contractus iste de negotio publico intolerabilis, ac cum destructione Regni



Regni conjunctus esset, nec eum, qui hæreditatio jure ad Regnum peruenit, obligatum credimus *Ohrad. conf. 94. Garf. Mastrill. l. 1. c. 18. n. 48.* in dubio autem semper in utilitatem Reipubl. quid contractum præsumitur. *Reink. d. R. S. l. 1. Class. 3. c. X.*

§. XV. Rex beneficia regulariter non revocat, beneficio enim semel translato jus quæsitum est alteri, quod ei subinde auferri non poterat. §. 1. de f. & f. Nec enim Imperii Majestatisq; propriū est concessa auferre, *autor de referend. palat.* item de donationibus, privilegiis &c. judicandum *l. 60. de Jud. l. f. C. de re Jud. Vultej. conf. 35. vol. 3. Reinking. l. 2. d. 2. c. 8. n. 25. Myl. ab Ebrebach. de nomol. l. 13. §. 4.* Excipe tamen, si Princeps in eum statum perveniat, quo apparet, Principem vel noluisse, vel non potuisse ita jus suum auferre, quod tum contingit, si in summum Reipubl. detrimentum talia beneficia tenderent, sic enim ea licite revocantur, quin si non quidem ab initio, sed in progressu appareat, talem concessionem Reipubl. perniciosam fore, tamen hisce aliisque concessionibus illa semper clausula tacite inest, si res in suo statu permanserit *l. 8. C. de revoc. donat.*

*An beneficia a Rege indulta revocentur?*

## CAP. IX. De Jure belli.

§. I.

**A**D defendenda Jura & legitimam, quam natura impertit facultatem, duo supersunt remedia, imperium & bellum, illud in subditos, hoc in

*In extraneos bellum in subditos imperium exercetur*

S 2

extra-

extraneos exercetur, illo fas & æquum inter subditos, qui parere jubenti tenentur, imperando sustinetur, contumacesque coercentur. Hoc extraneorum, qui imperio ejus non parent, injurias propulsat, & à se suisque amovet. Bellum est facultas legitima de re controversa per vim certantium. *Cicero* dixit, bellum certationem per vim, per certationem non actum, sed jus certandi intelligens, uti successio est jus succedendi *l. 24. ff. de V.S.* actio jus agendi seu persequendi *§. 1. I. de act.* Bellum gerere licet frustra, cum *Erasmo Roterodamo in libello de Christiano milite & Johann Fero. lib. de pace tuenda*, id negantibus *Anabaptistis & Photinianis.*

Quid bellum justum.

§. II. Bellum justum nihil aliud est quam defensio juris contra vim injustam, injustum bellum, non bellum, sed latrocinium est, is quoque jus suum defendit, qui ablatum ab alio repetit, atque inde non defensivum tantum, sed & offensivum sua gaudet justitia. Justitia belli constat ex unico necessario isto medio, sine quo enim nec me conservare, nec jura mea recuperare possum, illud utique naturalis juris est. Unde bene *Dn. Coccejus diss. de Jure vict. §. 7.* facultas defendendi, quæ omnibus, quin & brutis à rerum creatore data est, desineret, si unicum illud remedium, quo solo defensio fieri contra invitos potest, auferretur. Invitus vero quis sit, ad restituendum id, quod alteri debetur, si enim sponte quis satisfactus est, cessabit armorum strepitus. Patet hoc porro ex necessario fine & officio magistratus, qui ideo constituti sunt, ut subditi tuti sint ab injuria, a vi  
tam





tam publica quam privata. Comprobant id porro instinctus motusque naturales, inditum enim est natura homini naturalis quædam inclinatio se defendendi, quam primum enim natum est animal, ipsum sibi consiliatur & commendatur ad se conservandum, atque ad suum statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status; alienatur autem ab interitu, iisque, quæ interitum videntur afferre. Licitum est vim vi repellere, quin cum nemo per famosam *Jeti in l. 13. ad l. Aquil.* decisionem, membrorum suorum sit dominus, ne quidem hæc defensio remitti aut omitti potest. Evincunt hæc prima naturæ Græcis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν dicta, per quæ nihil aliud quam motus instinctusque illi intelliguntur, quibus spiritus animales ad sui defensionem rapiuntur, confer. specialem *Bæcleri diff. de primis N.* nam & vitulus nondum enatis cornibus ea parte minatur, & eqvuleus nondum firmatis ungulis calcitratur, & catellus dentibus nondum robustis morficatur. *Grot. de F. B. & P. l. 1. c. 2. §. 1. Tabor de abusu armorum in defenf. bonorum coerc. c. 5. §. 9.*

§. III. Neque divino juri repugnat bellum, conf. *Psal. XX. v. 6.* testantur id exempla bellorum apud Israëlitas etiam non mandatorum, quin leges generales ac perpetuas de modo gerendi bellum, Deus populo suo præscripsit. *Deut. XX. 10. 15.* Unde bella Abrahami cum septem populis, Dei bella vocantur, quippe Dei jussu non arbitrio humano suscepta. Inde Divino ad Hebræos scriptore teste dicitur *Gedeonem, Baracum, Simsonem, Jephthen, Davidem, Samu-*

*Bella di-  
vino juri  
non repu-  
gnant.*



*Samuelem*, atque alios per fidem debellasse regna. *Conf. Seld. de I. N. & G. VII. n. 12. Alb. Gent. de jur. bell. l. 5. Grot. d. I. B. & P. c. 2. §. 2.*

*Neque  
Novo testa-  
mento.*

§. IV. Neque bella novo testamento repugnant, Christus enim magistratui obediendum esse, imperat *Rom. XIII.* atque hæc obsequii gloria à subditis præstanda sine armorum adminiculo, subditis refragantibus, exerceri haud potest, quod plurimis rationibus demonstrat *Grotius*, non obstante *Matth. V. v. 38. & Rom. XII. v. 17.* nihil hæc loca arguunt aliud, quam generosius, melius, virtuosiusque esse bellum non geri, indeque à cæde abstineri, quin longe benignius quem facturum, si injuriam potius ferat, quam vi, viribusque declinet, omni vero juris vinculo hætenus hic cessante. Christus enim non fuit legislator *supra*, sed majora virtutum perfectionumque sancita decrevit *disp. nostr. de jur. hum.* idem ad objectiones veterum Christianorum respondetur, ut taceamus, non fuisse hos legislatores, id certum, multa præclara, & quæ pietatem summam redolent, in eorum scriptis contineri, unde nec illi capitalibus, si quæ à reis sumebantur, suppliciiis interesse cupiebant, cum tamen recte supplices ad debitam pœnam vocentur, ita recte bella geruntur, & gesta fuere hætenus *conf. Gerhard. de magistr. pol. §. 388. & 391.* quæ cum in se clara limpidaque sint, ita præter necessitatem tam prolixè à *Grotio* tractata fuere. *conf. Vitriarium c. 3. Kulp. ibid.*

*Diviso  
bellorum.*

§. V. Bellum vel publicum vel privatum est, illud quod autoritate potestatis summæ geritur, male



male vero Grotius putat, tale esse, quod autore eo geritur, qui jurisdictionem habet, jurisdictio intra, bellum autem extra territorium exercetur, jurisdictio inferiori quoque magistratui, jus belli superiori competit, jurisdictio in eos, qui judicem, bellum in eos qui talem non habent, geritur. Privatum bellum nihil aliud est, quam legitima illa, in casu deficientis judicis defendendi se facultas. Male heic Grotio sententiae, quasi judicia non à natura, sed hominis facta sint. Theologis heic nobiscum consentientibus *conf. Gerbard. de Magistr. pol. n. 27.* judicia enim sunt à natura, perinde uti officium magistratus, quod in jurisdictione consistit, à natura est, facta humana non opponuntur, sed subordinantur naturæ. Tale vero privatum bellum incipit, ubi cessat iudicium, ubi iudex sine certo periculo aut damno expectari non potest, si quis versetur in locis non occupatis, ut mari, solitudine, infulis vacuis, si subditi iudicem non audiant, aut is iustitiam denegaverit. Bellum porro vel solenne vel minus solenne est. Illud, quod autore eo, qui summam in civitate potestatem habet, geritur, & ut ritus certi adhibeantur, hoc sc. quod ritibus istis, qui tamen de jure gent. secund. sunt, carere potest, ad illos non hosceritus Princeps obligatur, *aliter. Grotius d. l. §. 4.*

§. VI. Soli in civitate Principi jus belli competit, magistratus vero duplex jus belli à natura habet. (1.) Ex mandato superioris, quo id constitutum, sine quo jus suum tueri nequit, unde si non verbis & via juris, sane via facti demandatam sibi provinciam

*Cui competit jus belli.*

ciam exequatur, deinde uti cuilibet, sic & magistratui (2.) jus privatæ defensionis competit. Ad illud, jus cogendi refractarios per apparitores spectat, quæ pars imperii, non belli est, quæ potestas publ. statuta & judicata in causis civilibus modica coercitione tuendi & exequendi mixtum imperium vocatur. *arg. l. f. §. 1. de offic. ejus cui mand. fct. & vel manu militari l. 68. de R. V. l. 13. pr. ne vis fiat ei qui in poss. vel pignorum captione, muletæ indictione, corporis retentione fieri solet l. 9. §. f. ad L. Jul. pecul. l. 4. §. 2. de damn. inf.*

*Instrumenta belli.*

§. VII. Adhibentur in bello servi & subditi, quos tanquam instrumentum aliquod Princeps ad hoc officium compellere potest. In hoc instrumento requiritur, ut voluntate causæ agat, ut vel ultro, vel cogi possit, servus Aristoteli audit *δουλος ἐμψυχον*, quod autem propter certum statum aliqui leventur, ut Clerici, de quo *Arniseus de exempt. Cler. sect. 1. §. 6. Gerb. de Mag. pol. n. 298.* alii arceantur, ut servi *l. 11. d. re. milit.* positivi juris est.

*Belli causa quosuplex.*

§. VIII. Belli causa vel justifica vel svasoria est, illa, ob quam juste, hæc ob quam conducit bellum geri, illa quæstio juris, hæc politices, illa proprie justa, hæc cæteris paribus, injusta est. *Conf. Bæcler. ad Tac. c. 10. n. 1. p. 322.* distinctio porro est inter principium & occasionem, illud, à quò incipit bellum, actu, hæc prætextum involvit, qui ad bellum gerendum nos adigit. *Conf. Grot. II. c. 1. Polyb. lib. 3. Hist. cap. 6. Liv. l. 36.*

§. IX.



§. IX. Sola injuria, non futura, non imminens, sed quæ realiter illata, justa bellum gerendi causa est; Maxima nobis ex Dionis Cassii; quem Grotius l. II. c. I. §. I. citat, effato, justitiæ habenda est ratio: quæ si adsit, vis bellica spem bonam præbet; sin absit, nihil quis certi habet, remota justitia quid aliud sunt bella, quam mera latrocinia. *August. de Civ. Dei l. 4. c. 4.* Unde qui sine causa bellum gerit, *Seneca* latro, *Lucano*, prædo, *Justino*, pirata vocatur, de quibus adaptari poterat illud *Seneca*, possum dicere, non esse hanc crudelitatem, sed feritatem, cui voluptati sævitia est; Possumus insaniam vocare. Nam varia sunt genera ejus, & nullum certius, quam quod in cædes hominum & laniationes pervenit, nam sine causa in bella ac pugnas ferri, mera insania est, malum sibi quærens.

*Injuria  
belli causa  
est & qua.*


§. X. Non igitur metus vicinæ potentiæ sufficiens ad bellum causa est, aliud est potentia injuriam agendi, aliud ipse injuriæ inferendæ actus, impedire alterius incrementem vim, non bellum, sed invidia est, metus injuriæ non est injuria, nisi certitudine morali constet, non solum de potentia ipsa, sed & nocendi animo. *Conf. Grot. l. 2. c. XXII. §. 5. & II. I. 17. Pufend. II. 5. 6. II. 6. 5. Strauch. diss. jur. publ. IX. 15.* non sola citra necessitatem utilitas, non denegatio matrimonii in laxa foeminarum copia, non cupiditas in melioris sedis, justam bellandi causam præbent, posteriori titulo Hispani contra Indos tui, confutati à *Fr. victoria relection. 5. Joseph. de Costa de procur. Indor. Salut. l. 3. c. 3. Vasquius l. 20.* ad quæ accedit,

T

quod

*Catalogus  
causarum  
ad bellum  
non suffici-  
entium.*

quod India jam tum occupata fuerat à suis incolis. Ut ut autem imperiũ in homines rationis usu carentes, bestiarumque instar viventes, occupari possit, terra tamen iis relinqvenda, furor, amentia &c. non tollunt dominium, & jus semel quæsitum. Hinc nec inventio rerum, ab aliis occupatarum, etsi illi, qui teneant, sint improbi, ac de Deo male sentientes, sat justam bellandi causam suppeditat. Neque arrogatio domini in populum barbarum, nisi gravissima peccata naturam & societatem humanam per se impugnantia concurrant, *Grot. d. l. §. 10. Alber. Gent. l. 25. Lipsius pol. V. 4. 17.* Neque libertatis desiderium, quasi illa naturaliter & semper quibusvis competat *Pufend. elem. 1. 37. & de I. N. Gent. III. 2. 8.* quamvis non diffitendum, libertatem rite à Tyranno scilicet amissam jure vindicari: nec voluntas regendi alios, quam peritia & prudentia præ alio non tribuit, nec titulus Domini Universalis in orbem, (quod enim Imperator Romanus orbis Dominus vocetur *in l. 9. C. ad l. Rhod.* per id non imperium aliquod in cæteros, sed quod præcipuus inter cæteros sit, significatur, uti Roma urbium Domina i. e. præcipua vocatur,) belli causam sistunt. Uni autem in omnes imperium non competit, ut enim navis aliqua ad eam magnitudinem pervenire potest, quæ regi nequeat, sic & hominum numerus & locorum distantia tanta esse potest, ut regimen non ferat. *Conf. Petr. de Andlo. l. 2. c. 8. Zoanettum. Chutenium aliosque, quos confutat. Bachov. ad Treutl. V. 1. d. 3. th. 7.* accurate quoque vocabulum mundi Dominus explicat *Godofred.*



*fred. ad l. à Ζίον c. 7. Conring. de Imper. Germ. Rom. c. 2. & dissert. de Imper. Rom. Germ. §. 10. Dn. de Danckelmann. disp. de Imperio in pares Coroll.*

§. XI. Neque Ecclesiæ proprie in populos ignotæ hæctenus terrarum partis jus competit, ecclesiæ enim jus non in imperando, sed docendo, monendo, adhortando, objurgando consistit, nec quicquam commercii habet cum brachio seculari. *Puf. de Habit. relig. Christ. ad vitam civilem. passim.* Neque voluntas implendi vaticinia justam bellandi causam præbet, vaticinium enim nihil aliud est, quam narratio rei futuræ, aliud autem est prædicare, aliud jus ferre, neque quis sibi jus in decreta Dei assumere valebit.

*Ecclesia in ignotos populos non habet jus.*

§. XII. Ob causam adhuc dubiam bellum geri nequit, nemo enim jus prætendere potest, nisi de eo liquido constet; an causa certa sit, nec ne, Principis arbitrium est, probe expensuri, an causa justa sit nec ne. Quare in rebus dubiis examen instituendum, hinc illinc argumentis petitis vel ex re ipsa, qualia sunt, quæ ex causis, effectis, & adjunctis aliis desumuntur, vel ex opinione prudentum, utpote consiliariorum. Sunt vero tres modi, quibus vitari potest, ne controversiæ erumpant in bellum, quæ non huc, sed ad Politicam spectant, & à Grotio, *Pufendorffio IX. 13. 3. Camillo Borelli, Joh. Baptista Perusino late efferuntur. Kulpis pluribus d. l. Primus modus colloquium est, de quo Bæcleri dissertatio de colloquiis Principum, alter compromissum, de quo Anthonius Blancus. Officium vero arbitratorum exhibet. Puf. V. 13. 4. Tertius est fors Grot. d. l. §. 9.*

*Causa dubia jus belli non præbet.*

*An causa belli utrinque justa esse possit?*

§. XIII. Utrinque potest esse jus belli gerendi, quin processus justus, sed non justa causa, in contradictoriis enim utrumque verum aut falsum esse nequit. Huc pertinent egregia Grotii monita in *cap. 24. de bello* non temere etiã ex justis causis suscipiendo.

*Qui bello juventur.*

§. XIV. Juvare bello subditi & ex fœdere socii debent, illud ex officio magistratus, hoc ex vi pacti resultat. In eadem causa sunt qui juvant, & qui juvantur, regula est, qui causam hostis mei sequitur, meus quoque hostis est.

*An civis deserere possit?*

§. XV. Ad periculum à tota civitate declinandum si unus exposcatur, deserere quidem is potest, non dedit, nisi periturus, neque Valqvii contrarium tenentis sententia heic quicquam facit, cujus potiora argumenta sunt, cives ideo in civitatem subiisse, ut eorum res salvæ sint, jus magistratus in defendendis civibus consistere, at hæc argumenta facile elidit ipsa necessitas, ipsa civitas non nisi dedito hoc cive salva sanaque esse poterat, fatius proinde erat, unum quam omnes perire, magistratus non unius civis, sed totius cœtus curam gerere debet, civis hic adeo cum defendi non poterat, dedito debebat. *Conf. Grot. Felden. Puf. elem. l. 12. 45. Bœcler. dissert. de domin. eminent. p. 95. diff. nostr. de contraci. summ. potest.* Dissentiunt præter allegatum *Vasquium & Scotum* commentatores *Feldenus, Zieglerus, Osiander.*

*Sociis an auxilia debeantur?*

§. XVI. Sociis auxilia quoque debentur, quamvis nulla spes certi exitus sit, nisi præsentissimum adsit periculum, de quo Grotii sententia admittenda. An amicis, an hominibus aliis ob jura, quæ





quæ vocant amicitia, & naturalem illam, quæ inter homines est, cognationem auxilia sint ferenda, iterum tum politices tum ethices quæstio est, non huc spectans, sed à mero Principis arbitrio dependens. *diff. Grot. d. l. §. 5. Alber. Gent. d. l. p. 48.*

§. XVII. Subditi tenentur sequi bello magistratum: possunt commodare operam & aliis, exc. si causa belli sit notorie injusta, regulariter justa belli causa pro subditis alienis, ut ab eis arceatur imperantis injuria, non est, subditi enim obligantur suo magistratui, in cujus actiones extraneus nullum jus habet, secus si notoria injuria, & Princeps Tyrannus sit, tunc enim arma talia gerens Princeps causam subditorum legitimum jus persequentium sequitur. Optimum est, ut in ejusmodi contentionibus conciliari suis imperantibus quærant subditi, aliorum Principum interventu, quorum sponse caveatur, ne conventa deinceps pœnæ aut eminentis imperii jure rumpi possint, *Conf. Grot. II. 26. n. 6. exemplum in pactis Monsonianis inter Hispanos & Gallos Telinæ factis artic. 5. seqq. extat in Ministerio Cardin. Mazar. p. 182. add. Bodin. de Republ. V. 6. p. 605. Obrecht. spons. pac. c. 5. §. 3.*

*Subditi  
sequuntur  
Principem  
in bello.*

## CAP. X.

### *De Processu belli.*

§. I.

**H**Actenus de justitia & causis, unde bellum oritur, factum, sequitur ipse belli processus. Quod in causis privatorum judicia, id in causis regum bella sunt, induciæ feriæ, victoria sententia est. *Connexio.*

§. II.

Quale  
bellum pro-  
prie licit-  
um.

§. II. Bellum licitum est sine quo recuperare jus suum læsus nequit, hoste enim res nostras restituere detrectante, unicum hoc, quod in vi consistit, remedium incipit. Omne igitur jus belli hac regula definitur, quod omnia illa in bello sint licita, sine quibus reparatio juris nostri obtineri nequit. Ideo enim bellum juste geritur, ut jus suum, quod aliter non potest, princeps recuperet. Hic finis est totius negotii, præliis igitur victorias, victoriis jus suum tueri ac vindicare princeps intendit. *Dn. Coccejus disp. de jure victoriae §. 8.* excipe, si sine bello aut victoria reparari possit, quando sc. tantum bonorum in manibus habeam, ex quo satisfieri mihi possit. In dubio hæc omnia dependent a conscientia & iudicio cordati principis: huc tres *Grotii regula in l. 3. c. 1. §. 2. 3. 4.* pertinent *conf. Hobbes de cive l. 8. Text. 18. §. 6. Velthus de princip. just. & decor. p. 1001. Strauch. de imper. mar. c. 8. n. 3.*

Apertus  
gerendi  
bellum mo-  
dus.

§. III. Modus gerendi bellum apertus per vim & terrorem fit, nec tantum hoc remedium in hostes, sed omnes, qui ab eorum partibus sunt, patet, hi enim sequendo causam hostis pars belli existunt. Cum vero hæc ipsa licentia, si aliter jus recuperari non possit, in ipsam competat vitam, ita multo magis in res hostium exercetur, quare non tantum ipsæ res hostis, sed etiam, quæ ab extraneis advehuntur, & communi nomine contrabandæ dici consueverunt, auferri possunt. Quæ vero non ad utilitatem hostium sed voluptatem potius vergunt merces, illæ prohiberi nequeunt, hostem enim istæ magis ener-  
vant



vant quam roborant, quoad commercia vero Gentium bello non implicitarum licitum est cuique jus suum urgere, & commercia cum hoc populo exercere, unde regula existit, orto inter populos bello, non excludi jure Gentium pacatos a libero cum hostibus commercio, quæ vero ad commercia pacis non belli, seu quæ propria bellorum sunt, restringenda, uti durante bello arma administrare, quo ipsa commercia pacis non exercentur, sed hosti assistitur.


2. Commercium illa pacis non cum alterutro hostium solo, sed cum utroque æqualiter exercenda sunt, ne videatur alterum alteri præferre, unde qui hosti frumentum venale subvehit, non ideo statim hostis loco erit, modo tibi pro eodem pretio vel tantum petenti non denegaverit. Igitur hoc ipsum potius est officium verum mediocum & pacatorum, ne commerciorum consuetudine alteri parti præ altera magis faveant *Conf. Liv. 38. Dn. de Danckelmann. disput. de Imper in pares §. 12. 13. 14. 15. 16.* Brevis, omne illud commercium extraneorum, quo hostis vires augentur, & ad præsentem belli statum faciunt, indictum est, quod fieret, si obsessis arma, frumenta, pecunia ministraretur *Conf. l. 2. pr. ibi ut ferrum & frumentum & sales ff. de publ. c. 2. X. de Judeis c. 1. extrav. comm. eod. tit.* Si vero quis accepto pretio contentus esse nolit, judicium hostis ejusque causam sequitur, quod igitur in hostem in hunc quoque licebit. *Conf. l. 2. C. quæ res export. non possint Gold. tom. 2. Const. Imper. fol. 117. Dn. Coccejus disput. de commiss. §. 1. 2. passim.*

§. IV.



*Latens  
bella gerendi  
modus.*

§. IV. Modus agendi bellum latens per dolum, cui stratagematis nomen vindicant, expeditur, de stratagematibus ex veteribus Scriptoribus extant, *Polyenus & Frontinus, ex recentioribus Henricus Ranzovius ac Elias Reusnerus, manipulum Stratagematum Amstelodami Winstrupius, Tholose vero quaedam Gallorum stratagemata Bellus edidit.* an dolo uti liceat in bellis, gravis est inter doctores pugna, simpliciter hic affirmati vram statuimus, dolum an virtus quis in hoste requirat? quin levior hæc, ad recuperandum jus suum, via est, humano enim sanguini parcitur, si occidere hostem multo magis eum circumvenire licebit, viribus corporis vincere belluinum, at consilio superare animæ rationalis & ingenti est. Idem de mendacio dicendum, quoties enim alter nec decipitur, nec ipsius jus læditur, toties id licitum erit, at quæ vale jus prætetendit hostis? mendacium proinde sermo est, quo aliud loquimur quam sentimus. Simulatio actus est, quo aliud agimus, aliud agi simulamus, & quamvis verba ad exprimendum animi sensa à natura sint comperta, non tamen inde sequitur, cuius vera dicenda, sic enim & occulta pandi deberent, quin verba à natura non sunt inventa, sed ex arbitrio hominum deveniunt, id verum est, contra virtutem plerumque esse mendacia, omnino enim in his quædam imperfectio est, ob summam, quæ heic & in dictis & factis deprehenditur, inconstantiam, sed nec hoc perpetuum, interdum enim mendacia summam merentur laudem, si mendacio aliquo vel Princeps, vel familia, vel patria confer-



conservari, vel aliud quoddam Reipubl. commo-  
 dum procurari possit. *Conf. Exod. XIX. Grot. de J. B.*  
*& P. l. 3. c. 1. §. 9. 10. II. 12. 13. 14. Pufend. IV. 1. & de off.*  
*l. 1. c. 10. Seld. VI. 3. Alber. Gent. II. 3. 4. 5. Hobbes. 18. 4.*  
*Veltbus. de princ. just. & decor. p. 986. Dn. Coccej. disp.*  
*de simulat. passim. Casauboni epist. ad Frontin. Duceum*  
*Jesuitam Montalt. lit. Provinc. epist. 9. Grotium.*  
 loca quædam contorte heic explicantem refutat *Nic*  
*Abramus Professor Pontomussanus.* Quando igitur  
 extrinsecò signo aliter ac alter putabat, utimur, si id  
 in rebus fiat, simulatio, si in verbis, mendacium ap-  
 pellari solet. Per simulationem rebus pro arbitrio  
 uti licet, etiamsi prævideamus, futurum, ut alter inde  
 falsam concipiat opinionem, dummodo nullum inde  
 sequatur nocumentum, aut nocumentum ipsum se-  
 posita doli consideratione licitum sit. *Grot. d. l. §. 8.*  
 Cæterum quæ hætenus dicta sunt, non nisi ad asse-  
 rentem sermonem, & quidem talem, qui nulli nisi  
 publico hosti nocet, non ad promittentem, multo  
 minus ad juratum referenda sunt. *Grot. d. l. §. 18. 19.*

§. V. Quantum vero ad ipsum sermonem,  
 bene de hoc inquit Cicero, societatis vinculum est  
 ratio & oratio, quæ docendo, discendo, communi-  
 cando, disceptando, judicando conciliat inter se ho-  
 mines, conjungitque naturali quadam societate.  
 Regula constans est, sermone & reliquis animi sen-  
 sis utere ad tranquillitatem communem promoven-  
 dam. Huc pertinent famosæ illæ regulæ, quas *Pu-*  
*fendorff & Thomafius* formant, de quibus conferen-  
 dus quoque erat *Uffelmann de obligatione Homini*

*Sermo quo-  
 modo insti-  
 tuendus.*

U

que



*quæ ex sermone oritur*, scilicet, Tace si per loquelam tuam offendantur alii, aut damnum incurrant præter meritum, aut humanitas vel pactum, vel ingenere pax communis taciturnitatem exigant (2.) loquere quoties ex humanitate vel pacto ad loquendum obstrictus es, vel taciturnitas damnum vel contemptum alteri infert, aut tranquillitatem lædit. (3.) Vocabula in alia significatione non adhibe, quam conventum est. (4.) Ea loquere, quæ cum animo tuo conveniunt, si humanitas vel pactum vel communis tranquillitas talia exigant. (5.) Falso loquio abstine, quoties per id alter læderetur aut contemneretur, & pax humani generis turbaretur.

*Requisita  
belli solennis.*

§. VI. Duo belli solennis essentialia requisita sunt 1. ut inter diversos populos summo imperio pollentes geratur. 2. Ut publice sit indictum: indictio sive denunciatio belli per facialem sive literas diffidatorias fieri solet. *Absage-Brieffe* ab hac differt clarigatio, quæ publica & solennis rerum aut cuiusvis juris clara voce facta repetitio est, in bello defensivo neutrum necessarium, quia quod bellum jam tum est, illud nasci amplius non potest, nec indici potest bellum, quod jam tum cœpit, quin in defensivo bello jus non repetitur, sed contra invadentem defenditur, in in vaso non est res arbitrii, sed meræ necessitatis, nec potest bellum indicere, qui tale movere noluit. *Conf. Grot. l. 3. c. 3. §. 1. seqq. Alberic. Gent. II. n. 2. Zoucheus jur. Fec. p. II. f. 10. n. 1. aliter Zieglerus p. 533.* Sed & apertissimi casus dantur, ubi nec in offensivo bello clarigatione opus, si scilicet notorie constet

constet, adversarium restitutionem denegaturum, si alter absque clarigatione nos invaserit, tum enim talionis jure, quos mores in se probat, in alio non improbabit, si de ferocia adversarii constet, quando tuto ad eum perveniri non possit, hodie plerumque indictiones per feciales seu *Heroldos*, quin per libellos publicos, quos *manifesta* vocant, expediti solent *conf. Textor. XVII. 50. Besold. Thes. pract. voc. Heroldt.* Consvenerunt etiam bellum molientes, legationibus ac literis ad vicinos Principes armorum suorum necessitatem, hostilium injulitiam accusare, quales svaforias literas examinat *Forstnerus ad Tac. XV. Ann. 13. p. 135.*

§. VII. Effectus indictionis ad subditos, socios, aliosque adhærentes extenditur: pluribus sociis ex eadem causa bellum gerentibus, una, ex diversis, quot causæ, tot denunciationibus opus, quod enim heic injuriæ, tot personæ, & quot repetitiones, tot hic bella sunt, unde etiam, si hi socii absoluto bello invadantur, nova hic indictione opus est, igitur si socii ita concurrant in bello, ut unusquisque ex causa propria agat, tunc revera distincta bella sunt, et si mutuis viribus gerantur. *Grot. d. l. §. 9. Textor. XVII. 5. 4.* Quoad subditos, nulla hic clarigatione opus, clarigatio enim species belli est, quod subditi non gerunt, subditi Principis judicium sequuntur, clarigatio in super publica est persecutio, quæ non nisi inter publicas personas expeditur, multo minus inter latrones clarigatione opus, quippe qui cœtum non constituunt, sed criminis causa sociantur, nisi mutato

*Effectus  
indictionis  
quis?*

prædonum statu aliud vitæ genus amplexi fuerint. Finis est, ut certo constaret, non privato ausu, sed voluntate utriusque populi, aut populi capitum, bellum geri *Grot. d. l. §. XI.*

*Indictione  
præsidio facta  
quid  
juris?*

§. VIII. Indictione præsidio saltem facta statim bellum geri potest, illique, qui in præsidio sunt, indictionem sibi factam denunciant, tantum tamen spatium expectandum, ex quo probabiliter constet, adversarium reparaturum, aut ad minimum reparare posse, id quod ablatum, in quo si cesset, statim armorum strepitus incipiet. *Conf. Alexander ab Alexand. Gen. dier. l. 5. c. 3.*

*Effectus  
bellorum.*

§. IX. Quantum ad ipsos, facta indictione, bellandi effectus, dicta jamtum fuit regula omnia scilicet ista licere aut permitti, sine quibus jus defendi vel recuperari, aut victoria obtineri nequit, ista igitur licentia, si impedimentum hoc aliter tolli haud possit, non tantum ad corpus vitamque, sed & res hostium protenditur. Frustra heic dissentientibus, qui vel ex virtute, vel generositate, vel conscientia, contrarium decidere malunt. *Grot. d. l. c. 4. §. 12. 13. Pufend. III. 1. 7.* removendum quoque erit heic bellum injustum, de hoc enim vera est Grotii sententia, ubi belli causa injusta deprehenditur, etiamsi solenni modo sit susceptum, injustos esse interna injustitia omnes actus, qui inde nascuntur. Quin hi latruncolorum non justî bellandi actus sunt. Et quamquam res inæstimabilis sit vita hominis; nullumque magis natura nefas, quam hoc sacrum, hoc carum, Deo animal lædi, nedum occidi, cum tamen sine  
cæde



cæde juris persecutio fieri non possit, ita hæc licita, non enim adigi hostis ad satisfaciendum potest, nisi viribus, quibus resistit, recisis & debellatis *Dn. Cocq.* *disp. de Jure victor. n. II.*

§. X. Jus hoc licentiæ latissime patet, nam non eos tantum comprehendit, qui actu ipso arma gerunt, aut qui bellum moventis subditi sunt, sed omnes etiam, qui intra hostiles fines sunt, quo nomine & advenæ, si ad bellum cogi, utique & occidi possunt, quod in illis advenis, qui in obsidione urbis continentur, & tanquam temporarii subditi ad bellandum coguntur, passim constat; cessat tamen hoc, quando advenis, exeundi facultas conceditur, quod fit, quando ex hostium manibus fugiunt, quæ fuga enim cui libet, cæteris paribus, patere debet, multo magis hoc in transeuntibus tenet, hi enim liberrimo transitus jure gaudent, & a belli calamitate immunes sunt. *Grot. §. 6. & 7. Alber. Gent. II. 2. Francisc. de Immola conf. 51. Petrin. de Bello 2. 18.* id vero vix admittendum putamus, quod subditi in solo proprio, in solo hostili, in solo nullius, in mari indistincte occidi possint, hæc enim occidendi facultas non aliter, permittitur, quam si, ut sæpe dictum, alias victoria & jus nostrum obtineri nequit, at capi utique possunt.

*Quomodo  
jus hoc se  
extendat.*

§. XI. Consequens est, quod ii, a quibus nulla hostilis vis metuitur, occidi non possint, quo nomine nec infantes, nec fœminæ, nec Clerici, nec senes, tuto occiduntur, non enim hæc personæ resistunt, sed victoria citra has omnino parari potest. Excipe, nisi & hæc arma tractent, fœminæ quoque ad fornicationem

*Qua per-  
sona non  
recte occi-  
dantur.*

onem alios seducant, aut a cædere reliquorum discerni non possint. *Conf. Livium graphice hoc perorantem l. 5. c. 77.* Idemque in Imperio constitutum in *det Reuter Bestallung. de anno 1570. §. 70.* ideo & captivi, & qui se dederunt, cum non amplius resistent, occidi nequeunt. *Conf. quoad priora Alb. Gent. II. 2. c. 26. Textor. 18. §. 17. Seld. VI. 16. jus militare Danic. art. 40. jus mil. Wurtenb. art. II.* nec movet, quod ipse Deus injunxerit Hebræis, ne vel sexui vel ætati Cananitarum hostium parcerent. Hebræis enim duplex bellorum genus fuit. Alterum commune, quod sua auctoritate, eodemque, quo aliæ gentes, jure gerébant. Alterum speciale, in septem populos, quod speciali Dei mandato, ejusque arbitrio gesserunt: In hoc, non illo mandata fuit infantium sceminarumque cædes. *Deut. XX. v. 16. & seqq. Seld. c. 6. §. 12. seqq. Sich. de L. Reg. c. 5. c. 16.*

*Ad quid  
præfectus  
teneatur?*

§. XII. Quamdiu obsidio durat omnis in obsessos licentia permittitur, præfectus præsidii culpam omnem præstat. Si tuendi nulla spes superfit ad dendum, si obstinatus deditioem detrectat, addamnum, protervia sua causatum, resarciendum tenetur. Sola enim defensione laudabili ipsi concessa, defensionis terminos excedit is, qui defendere amplius nequit. *Conf. Grot. d. c. §. 13. Hojer. ad jus militare Brandenb. tit. 3. art. 20, p. 328.* capti autem, dediti, obsides non occiduntur, nisi ob talionem & pertinaciam in resistendo. *Alb. Gent. II. 19. p. 394.* Si quis autem præsidio decesserit, omnium populorum, legibus gravissimas pœnas fert, neque ullam fere excu-

excufationem accipit. *Conf. l. 3. §. 5. de re milit. Livius. XX. c. V. 37. Maximilian. Articulis Brieff art. 23. jus milit. Brandenb. t. 7. art. 33. Sæcorum art. 48. 49. 50. Dan. art. 107. Batav. art. 51. Helvet. art. 43. conf. Kulpis colleg. Grot. §. 6.*

§. XIII. Quod de infantibus, senibusque dictum, idem statuendum de maribus, quorum vitæ genus ab armis abhorret, in qua classe sunt sacerdotes, & qui cum his affinitatem habent, Monachi & pœnitentes, qui studiis Literarum operam navant, agricolæ, mercatores, aliique opifices & artifices, quorum quæstus pacem amat, non bellum *Conf. Grot. l. 3. c. II. §. 10. Alb. Gent. II. 22. p. 427. Feltmann. respons. milit. IX. n. 68. 69.* mitius inde quoque cum sacerdotibus militaribus *denen Feld. Predigern* procedendum erat, salva tamen heic utrovis toties dicta exceptione, nisi hæ personæ aut armatæ sint, aut alio modo noceant *Marquard. de jure mercatorum l. I. c. 16.* Ubi variorum populorum constitutiones refert. *Conf. Baron. ad Ann. 888. n. 2. Claud. Espencæus l. II. digr.*

*Quæ porro persona non recte occidantur?*

§. XIV. Quod lædendi modum concernit, videbatur quidem, si merum naturæ jus inspicias, nec venenata arma, nec percussores heic arceri, at jus Gentium, si non omnium certe meliorum jam est, ne hostem veneno interficere liceat, nec per se, nec ita, ut spicula & arma veneno inficiantur, imo ipsa natura ejusque decreta sanctiora hæc tanquam turpia armare jiciunt, quod apud plures, uti dixi, gentes pariter tenet. *Conf. præter Grotium ex Theologis*

*An armis venenatis uti liceat?*

*Dan-*



*Danbauer. Colleg. Decal. p. 714. Zentgrav. diff. de armis in bello prohib. §. 7. Alb. Gent. p. 254. Norderm. de jur. Princip. th. 79. Hispanis idem tribuit & modum toxicandi prolixè describit Tbuanus lib. 46. p. 962. qvin expressis pactis super omittendo certo globorum armorumqve genere conveniri solet, specimen ejusmodi conventionis novissimo bello inter Germanos & Gallos Argentorati Anno 1675. factæ extat, unde excepta art. 57. verba huc pertinent, citata à Dn. Kulpis. colleg. Grot. §. 7. Causa hujus rei esse videtur, qvòd hæc arma non ad juris defensionem, sed vastationem tendant, qvin in vindictam, majoremqve dolorem excitandum vergant, & subinde ad honestam gloriosamqve victoriam nihil faciant, qvi vero injuste invaditur, alio remedio præcluso, hoc utetur, necessitate actum natura alias injustum, excusante. Necessitas enim legem non habere dicitur.*

*An fontes  
veneno in-  
fici queant?*

§. XV. Contra idem Gentium decretum militat, si fontes veneno inficiantur, secus, si aquæ sine veneno ita, ut bibi amplius nequeant, contaminentur. *Grot. 3. 4. num. 17. Zentgr. d. dissert. §. 19. & 21. frustra hic contraniteñte Alberico Gentili II. 7. cui à Zentgravio. d. l. satisfactum videtur. Nequaquam vero uti licebit incantationibus & magicis artibus, neque scorta, venerea lue qvadam laborantia, ut inde hostilis exercitus inficiatur, submittere fas erat. Conf. iter. Alb. Gent. II. 6. p. 289. Zentgr. d. d. §. 27. & 20. neque in hostiles fœminas stupra permiffa erunt, fœminæ enim sua resistantia nobis nocere nequeunt, per talia facinora vires hostium non attenuantur, nec nostræ augen-*

augentur; verum quidem, quod in hostile corpus nulla committatur injuria, sed & efferatæ libidinis actus hic concurrat. *Alb. Gent. II. 21. p. 421. Textor. c. 28. §. 13. & 23. Zoucheus jur. fec. p. 11. sect. 2. §. 17. Selden. V. l. 13. de jur. milit. originem & armorum varia genera sistit Alb. Gent. II. 7. Differentiam veterum ac hodiernorum Forster. ad Tac. II. Ann. 21. arma in bello prohibita late persequitur Zentgr. in d. diss. fusc. omnia exhibita à Kulpisio.*

ADDITIO.

Voce armorum generaliter intelligimus omnia, quibus hosti in bello nocere, vel hostem vincere possumus, adeoque non modo cum vi & manu, sed & cum consilio & prudentia alter altero superior est, arma duplici sensu sunt illicita; vel vitio causæ, si pars justâ bellandi causam non habeat; vel ex defectu personæ, ut si pars jus belli & armorum non habeat; vel denique ipso armorum genere, si jure Gentium id non probatur, id vero certum est, & ex purissimis legis naturæ fontibus resultat, nullum armorum genus jure Gentium licitum esse, nisi quod necessarium est ad juris nostri defensionem, & sine quo vel jus ereptum recuperari, vel impetum servari nequit. Quod cum obtineatur victoriis, nulla arma licita sunt, nisi quæ ad victoriam, & nulla victoria justa, nisi quæ ad jus nostrum obtinendum necessaria est, indubitatum equidem est, ei, qui vi injuriam infert, vel factam tuetur, pariter vim omni jure Gentium opponi posse. *Liv. lib. 43. c. 41.* Armaque in armatos sumere jura sinunt, detestanda vero sunt omnia illa arma, quæ non tam ad vincendum, quam ad nocendum ulciscendumque excogitantur, & exasperandis sauciorum doloribus, & ad tollendam omnem spem convalescendi inventa & comparata, ac proinde immanitatis magis belluinæ, quam justitiæ exequendæ instrumenta sunt. Uti si globis plumbeis, qui ex variis instrumentis bel-

licis emitti solent, æs vel ferrum ita miscetur, ut aculei pariendo dolori, & ne sit eximendi iterum convalescendique facultas, emineant. Idem dicendum putant, de ingentibus illis machinis bellicis, quæ non expugnandis & occupandis oppidis & munimentis, sed tantum concutiendis & evertendis eorum ædificiis admoventur: Vulgo bombardiren dicitur, & voce & re nova, cum neque spes neque animus sit expugnandæ urbis, sed exsatiandæ vindictæ, explendique odii. Quin naves incendiarias, globos ignitos, vel pulvere oppetos ac sinu stragem gerentes, vel ingentia ore incendia vomentes machinas mos hodiernus quoque commendat; Verum hujus immanitatis non illa pars obnoxia est, quæ aliter jus suum tueri ac recuperare nequit, sed in illum, cujus injuria necessitati tam execrabili causam dedit, ejus vindicta recidit, & illius caput tot innocentium hominum sanguine consecrat. Sed & in eum hostem, qui armis illicitis ac citra necessitatem juris sui tuendi utitur, vicissim eadem arma, eademque bellandi ratio permessa est, ut in eum quoque paria machinarum monstra ac furia, etsi tantum ad nocendum & ulciscendum parata sint, justa talionis lege immitti possint. Nunquam tamen jus armorum & hostium in eos est, qui armis jam capti vel victi sunt: Cum omnis cesset seviendi in eos necessitas, qui jam sunt in nostra potestate, atque adeo juri nostro tuendo vel recuperando nullum amplius impedimentum afferre possunt. Non minus igitur sancta debent esse arma quam judicia, & quam justitia ipsa, pro cujus tuitione à natura permessa sunt, imo hoc eo magis, cum causa agatur ipso Deo judice & in immediato divini illius numinis judicio sanctissimo, in quo turpibus pudendisque artibus uti nefarium est quam maxime. Hinc veneno in hostem uti nullo jure Gentium in bellis licitum est; cum nihil in eo virtutis, nihilque sit, quo appareat, eum altero potiorrem vel superiorem esse, & præterea res sæda, improba, ac inter homines detestabilis sit. Neque ea virorum sed mulierularum

ularum pessimarum sunt arma, non bella, sed veneficia; nulla victoriae indoles, cum nulla re alteri praevaluerit, sed mera flagitii infamia. Maximopereque interest, gladio an veneno quem interimas, in gladii enim actu virtus apparet, in veneno nulla: ex illo fortitudo, & quis superior sit, & victoriae ratio dignoscitur; nihil horum in altero. Differunt igitur eo ipso, in quo omniae quaestionis momentum situm est; sc. quod gladii, similiumque armorum usus in bellis honestus, veneni foedissimus, & plane infamis sit, & honestum est certare, quis armis potior ac superior sit, turpissimum vero, quis veneficiis. Ad hoc belli nefas igitur multo magis pertinet, si hostium fontes & aquas veneno hostis diluit; vel tela, gladios, hastas, glandes aliaque missilia ea peste inficit, at vero non abhorret a rationibus belli, si fontes vel aquae non ita corrumpuntur, ut homines earum haustu pereant, sed ut bibi nequeant. Sed quid si alia via juris tuendi & hostis vincendi non sit, uti si pars, quae laesam se putat, hoste nimis inferior sit viribus ac consilio, nec ulla facultas ejus arcendi, veneno autem eum abigere possit? Resp. tum pro victo habebitur, ac dedere potius se debet, vel satisfacere hosti, quam ferrum infamare veneno, atque hoc suggerit servator *Luc. XIV. v. 31.* sc. ut qui se viribus hosti imparera sentit, mature pacem petat. Cæterum non desunt casus, quibus veneno quoque se tueri fas erit, v. gr. Si sciant cives, victorem non mansurum intra fas belli & victoriae, & ab eo se non hostilia, sed ultra sacros victoriae fines atrociter passuros, atque adeo herbis, ubi aliter non possunt, a suis & conjugum liberorumque corporibus malorum extrema depellant, non id in legitimum hostem, sed in furiam, prædonem ac Tyrannum agitur, in quem omnis expediendae salutis honesta ratio, idem licebit, si hostis pacem dare nolit, detestandumque est, cum percussor emitur, qui ex occulto & ex insidiis hostem feriat; nam nec minus id turpe ac fædum, nec plus in eo virtutis est, quam in veneno, & utrobique perinde sublata est mutua defensionis copia, quae in bellis non magis, quam in iudiciis tolli



in uniuersum potest. Quin & tauros, leones, apros in præliis duxisse veteres, antiquus poëta *Lucret. lib. 5.* circa fin. refert, sed & hoc bellandi genus Jure Naturali licitum esse pernegamus: nam non hominum in ea re virtus est, sed belluarum, & ab his, non ab hoste hostis vincitur. Denique ab artibus magicis quoque præsidium quandoque sibi quærunt bellatores, & iamosi ideo sunt ultimi septentrionis populi, Finni, Lappi, an vero in his aliquid veri sit, varie disquirunt, nos ita existimamus: etsi quis artis magicæ usus in bellis esset, id tamen non nisi in eos, qui superstitioni huic dediti sunt, vim habere posse, in alios vero, qui animum corpusque virtute & recti studio munitum habent, nihil valere. *Conf. integr. disp. Dn. Cocceji de armis illicitis.*

*An res  
vastare li-  
ceat?*

§. XVI. Jus illud, quod in personas, multo magis in res hostium grassandi licentiam impertit, quare non tantum vastare; sed & hostiles res deprædare licet, per vastationem res hostium destruuntur, per deprædationem minuntur, illa tum licita, si res vastata nobis noceat, si aliud defendendi remedium non superfit, si per eam vires hostium minuantur, nostræ vero firmentur, quare cum per res luxum promouentes, nec per ipsas sacras res vel augeantur, vel conseruentur hostium vires, omnis heic vastatio cessabit, secus erit, si in templis hostes latitant, vel templorum destructio hostes ad deditioem permovere possit. *Conf. Grot. c. 5. §. 2. 3. 4. Puf. VIII. 6. seqq. Dn. Budei dissert. de bello in res sacras Add. Maximilian I. Riteges-Recht art. 13. Maximilian. II. Articulis-Briefff art. 9. Ferdin. III. K. R. art. 10. jus milit. Brandenburg. tit. 14. art. 65. Wurt. art. 12. Dan. art. 41.* Regula igitur constans est, vastationem hæcenus naturaliter illicitam, nisi sine ea jus & victoria obtineri nequeat, *Grot.*



*Grot. d. l. Joseph. l. 6. Freber. in orig. palat. Lehm. in Chron. spir.* stultum erit, nullo suo bono alteri nocere, quare male rem frugiferam, quæ hostibus in fructu esse non poterat, perderemus, quo spectat lex divina de asservandis arboribus frugiferis *Deut. XX. v. 19.* nisi iterum res illæ hostibus fomes & incitabulum virium essent, illique inde ad resistendum tenaciores fierent. *Conf. Carion. in Chron. lib. 5. p. 10. 30. Crus. in Annal. Sæv. ad ann. 1462. Lehman. Chron. Spir. lib. 7. cap. 107.* quæ quoque dispositio ad rem quamvis, quæ sine causa peritura, extendenda, ut si ædificia comburantur, esculenta aut potulenta corrumpantur. *Selden. V. 15.* huc pertinet, næ molæ, furni, & aliæ res ad quotidianos usus necessariae, confringantur, nec farina, frumenta, vina corrumpantur. *Conf. Fustnechts. Bestallung de anno 1570. art. 53. add. Articul. Brieff der Reichs. Böldter de anno 1672. jus Dan. art. 122. Brandenb. XIII. art. 59. Hannover. §. 63. Hassiac. §. 31. Helv. t. 17. art. 67.* id ipsum vero cum in bello, ita multo magis post plenam victoriam locum habebit, idem fiet, si spes sit celeris victoriae, eo casu suas sibi ipsi res hostis destruere videtur, idem, si hostis aliunde satis habere possit, unde se sustentet, videlicet, si mare, flumina aut fines alii pateant, idem, si res quædam ejus sint naturæ, quæ ad bellum faciendum aut ducendum, nihil momenti habent, ut porticus, statuæ ac ornamenta *Grot. hic. passim. Alb. Gënt. II. 23. p. 442. 46. & III. 6. p. 505. 508. Textor. 18. §. 35. Zouchaus jur. fec. p. 11. sect. 10. n. 19.*

§. XVII.

*Multo  
magis hoc  
jus tenet in  
deprada-  
tione.*

§. XVII. Quod in devastatione, multo magis in deprædatione juris est, quin prædas agere in infinitum licet, quam diu enim hostis quis est, tam diu jus prædandi existit, deprædatio hæc juris ab hoste notabiliter læsi æstimatio est, longæque laxior in bello est potestas prædandi, quam vastandi, vastatio enim, uti mox dictum, earum tantum rerum licita est, quibus hostis validior ad oppugnandum, ac confidentior redditur; Præda vero omnium, quæ utilitatem nobis afferre possunt. *Dn. Coccejus d. disput. de jure victoria §. 22. p. 13. conf. Deut. XX.*

*Quando  
res capta  
intelligan-  
tur.*

§. XVIII. Res hostiles Dominio, personæ sive singuli sive universitates imperio cedunt. Res deprædata tum intelligitur nostra, quando in potestatem nostram sociorumque ita translata est, ut amitti facile non possit; durante igitur pugna, cum res iterum amitti aufferiqve facile possit, nondum intelligitur capta: Mobiles igitur res intelliguntur captæ, quando intra fines, id est, præsidia hostium perductæ, immobiles res, uti agri, non statim capti, simul ac infessi, sed tum demum, cum mansuris munitionibus ita includuntur, ut, nisi iis expugnatis, parti alteri palam aditus non sit. *Grot. c. 6. §. 3. 4. vid. Burger. Cent. I. obs. 55.*

*Locus in  
quo hostis  
jus habet  
recte occu-  
patur.*

§. XIX. Non tantum, quod hosti proprium, sed in quo jus habet, occupari potest, videlicet, in quo hostis usumfructum, pignus vel aliud quoddam jus tenet, hostis jure hoc casu in nos translato, inde nec dubium remanet, si hostis munimentum in pacato solo situm occupaturus esset, nos præoccupare hoc posse,



posse, nihil enim pacato solo decedit, & quod jus hostis, idem in id & nos præ tendimus, neque pacatis locus hic æque periturus, sed hosti auferretur, frustra igitur jure non læso de injuria sermo instituitur, salva, si bellum finitum fuerit, restitutione. *Grot. d. l.*

§. XX. Quod in bello capitur soli cedit Principi, hujus auspiciis, hujus nutu bellum geritur, milites merum sunt instrumentum, uti igitur res per instrumentum corporale expeditæ ad nos spectant, ita nullum dubium, ipsi hoc jus à militibus acquisitum competere, Principi subinde, non militibus injuria illata, præda ex causa belli est, cujus solum apud Principem judicium remanet, neque distinctio in hoc negotio inter actus vere publicos belli, & inter actus privatos, qui fiunt occasione belli publici, quicquam momenti habere videtur. Varias opiniones consignat *Zieglerus p. 548. Cum Grotio* populo tribuerunt hoc jus *Petrus Faber semestr. l. ii. c. 4. Hugo du Roy l. i. t. 6. n. 13. Anton. Merenda l. ii. contr. c. 22.* singulis militibus assignarunt *Cujacius XXI. 17. ac imprimis Dn. Textor. c. 18. §. 67. Grotium* defendit hic late *Kulpif. coll. Grot. §. 2. Gloriosius* tamen Principem facturum credimus, si res aliquas militibus prædæ loco relinquat, id quod in positivis legibus quoque cautum. Mores varios præclare exponit, *Kulpif. coll. Grot. d. c. §. 3. adde jus militare Svecorum tit. XIX. art. 36. Batavorum art. 63. 64. Fustknächte Bestallung de Annn 1672. art. 73. jus milit. Dan. art. 125. 126. Brandenb. art. 68. Helv. art. 72.*

*In bello  
capta omni  
cedant?*

§. XXI.



*Urbs capta  
an diripi  
possit?*

§. XXI. Urbs capta diripi jure Gentium non potest, sed jure imperii in eam agi; quæ enim occupata jam, & in nostram potestatem redacta est urbs, ea amplius non resistit, nulla igitur violentia hic locum habebit, incipitque jam legitima causæ cognitio, inflictæ debita his, qui refractarii erant, pœna, noxiisque heic ab innoxiiis separatæ, quod contrarium observatum legamus, ex abusu, & intempestivâ bellilicentia tractum videtur. *Conf. Liv. l. IV. c. 46. Grot. §. 18.* id ipsum quoque senatum Romanum recepta bello Capua, quæ ad Hannibalem defecerat, fecisse, *d. l. monet Livius conf. Paul. Jovius Hist. l. 28.*

*Bello cum  
sociis geste  
quid juris  
circa prædam.*

§. XXII. Bello sociorum ope gesto, varia de jure prædæ disceptatio existit, quæ una fere distinctione absolvi potest, si socii suo nomine propriam persequantur injuriam, cum de sua re agunt, sibi, si alterius causam sequantur, ei, cujus judicium sequuntur, acquirunt, tum enim instar instrumenti se habent, instrumento autem non, sed causæ Principali acquiritur, sociis nulla, sed soli Principali injuria illata, omne igitur, si quod socii prætereundere poterant jus in principalis causâ radicatur, huic igitur acquiri indubium, hoc jus enim socii ex alterius jure habent. *R. I. 1541. §. 54.* salvis tamen heic sumptibus sociis refundendis, aliud est, si socii communem gerant causam, quicquid enim hic acquiritur, in commune confertur, aliud quoque est, si res alterius socii jam ante fuerit, tum enim ad socios jus postliminii, de quo infra, pertinet, nihilque interest, utrum ad nos, an ad socios res redierit; Civili itaque jure hæc aliter  
intro-

introduci posse nihil repugnat, sicuti nunc tacita consuetudine ubique ferme receptum est, ut sua faciant, quæ capiunt socii, aut subditi, qui sine stipendio aut suo sumptu suoque periculo bella gerunt, quos voluntarios vulgo appellant. De quo tamen pactis hodie inter socios conveniri solet, qualium exempla *ministerio Cardinalis Mazarini & Brachelii historiae* subjuncta reperiuntur. Quæ ideo nosse intererat, ut oborta controversia ei adjudicentur, cui leges tales vel consuetudines favent. *Grot. cap. 6. §. 25.*

§. XXIII. In bello captura fit non modo rerum sed & hominum, eorumque tam singulorum quam univerforum. Captus J. N. fit servus hostium, omni facultate agendi captò præclusa, & in capientem translata. Servitus hæc jus plenum in operas capti confert, si enim in bello hominem occidere, multo magis ipsum capere, & in servitutem redigere licebit, servatis tamen utique juris & æqui terminis, inde jus sæviendi pro lubitu in corpus servi, jus necandi, plane cessabit, exuberansque hæc licentia potius abusus quam jus Gentium audit, quo nomine occiso servo verum committi homicidium verissimum est, nec admittenda videtur *Grotii in cap. 7. §. 1.* sententia, qui servorum posteros servos fieri aumat, quilibet de Jur. Nat. libertatem propriam habet, servitus ex Jure Gentium est, nec heic liberi conditionem parentis sequuntur, libertas, servitus in patrimonio non est, ergo ad heredes transire nequit, quin naturaliter, uti infra, nulla est successio, sed omnia morte intereunt, verumque omnino, quot ho-

*Quid juris  
in captis.*

mines, tot hic libertates. *conf. Grot. c. 7. §. 1. 2. 3. Burger. Centur. 1. obs. 25. Vasq. controuv. Illustr. 10. §. 21. Pufend. IV. 10. 7.*

*Capti jura  
integra re-  
tinent, &  
an fugere  
possint,*

§. XXIV. Jura rerum captus in sua civitate integra retinet, nisi simul capta, res enim per alium administrari possunt, quin magistratus officium erit administratorem bonorum hic constituere. Illud magis dubium, an ita captis fugere fas sit, putamus omnino, captum, non qui se dedit, recte fugere, ille enim judicium suæ civitatis sequitur, quæ injuria eum captum dicit, cum quo conspirat jurisprudentia Romana in *l. 19. de capt. & post. revers. Pufend. IV. 10. 7. dissent. Ziegler. p. 557. Osiander. p. 147.* hic ex propria sua dispositione & fide semel data obligatur, quam si violaverit, contra jus omnino ageret, vis enim & metus exceptio parum ipsi proderit, cum consensum non tollat.

*Lytrum  
pro captis  
hodie solvi-  
tur,*

§. XXV. Servus captus resistere non debet, alias hostem se declararet *Grot. d. l. §. 7.* Hodie inter Christianos mos est captos custodiendi, donec perfolutum sit pretium vel lytrum. *vid. Textor. c. 18. n. 41. Grot. III. 21. 29. Mantica de Tac. & ambig. conv. l. 2. t. 12. n. 9. Alber. Gent. III. 9. Strach. jur. just. 1. 17. Ludwel. de ult. vol. c. 2. Vinnius ad §. 2. I. de l. person. Varios mores & exempla iterum collegit Kulpis. in Colleg. Grot. add. Max. II. K. R. art. 62. Reuter. Bestallung art. 94. 95. Articul. Brieff der Reichs. Bölder de anno 1672. art. 74. jus milit. Suec. tit. 19. §. 88. Batav. art. 60. 61. Dan. art. 124. Brandenb. art. 70. a lytro sceminas & liberos in captivitate mortuos, pastores*



stores & studiosos immunes reputant *Conf. Hoyer. ad art. 70. jur. mil. Brand. p. 435. & passim. Feltman Resp. mil. IX. n. 71. & 76. art. 80.* In permutationibus non semper respicitur ad paritatem officii, sed potius ad utilitatem, quam captus hosti præstat. Pretium hoc Jæti mediæ ævi ransonem seu finantiam dicunt, quæ in arbitrio victoris, ad omnia victi bona extendere hanc valentis, quanquam pactis expressis super his convenitur, quæ olim *Quartier*, hodie *Cartel* dicuntur, prolixissima exempla & allegata refert. *Kulpif. §. 2. in not.*

§. XXVI. Acquisitio personarum universalis consistit in subjectione Reip. hostilis, quatenus ea sub imperium victoris redigitur, vincere est alterum in suam potestatem ita redigere, ut resistere amplius non possit. Ex actu victoriæ quæritur victori quicquid imperii & juris publici in victis est, adeoque & nomina civitatis, non autem illa, quæ ad singulos pertinent, quæ autem de illis rebus, quæ in castris hostium tenentur, non intelligenda. Quo nomine publicum debitum à victore recte donatur, non privatum, uti Thebarum Chirographum Theffalis recte donavit Alexander Magnus, approbante hoc *Aerodio Pand. rerumpub. l. 2. t. 3. c. 2. & 3.* quæ in contrarium allegatur ratio, quod nomen sit res incorporalis, quæ manu non capitur, frivola est, *Hottomannus & Gentilis* controversiam hanc quoque, sed ex rationibus juris civilis, decidere volentes, rem minus tetigere, de publica non privata re controversia fuit, non enim cum singulis, seu privatis,

*Jura vlt. Aeria*

sed cum toto populo bellum gestum, etsi de eo imperio subactove Principatu nulla forte lis aut controversia belli inter partes fuerit, & victor aliunde jam damni, quod passus dicitur, restitutionem consecutus fuerit, princeps autem non acquirit victos jure proprio, sed tanquam Reipubl. suæ caput, hinc nec aliud jus in devicta repub. habere potest, quam victrix Resp. ipsi concessit, consequens iterum est, quod victus victoris leges sequatur, terra enim per victoriam devicta fit accessio terræ victricis, hinc quamvis rex devictus limitatam habuerit potestatem, tamen populo victori absolutum in populum devictum competit imperium. Ab hac sententia excipiendum est, si aliud actum, veluti si victor pacto vel clementia hosti priorem Reip. formam reliquerit: Per victoriam nec servitus, nec jus prædandi singulos constituitur, post victoriam jure & causa cognita omnia victor statuit. Jam enim desinit victoris jus & Rex evadit quis, nec victi, cum amplius haud resistant, hostes, quin nec populus liber sunt, in devictos igitur non belli jus, sed ratio civilis adhibenda. Si victor prætendat per victoriam sibi juri que suo nondum plene satisfactum, nova imponere potest onera, abusus autem iste eliminandus, quæ plus juris victoria, quam bello parari jactatur. Quando itaque omnia, quæ victori absunt, ex præda hostium consequuta, ulterius prædas agere haud permissum erit. Qui enim suum jam consecutus, amplius aliquid petere nequit.

*Addi-*



## ADDITIO.

Cum bello affinitatem habent repressaliæ, hæ sunt quibus pro injuria a principe illata subditi vel eorum bona capiuntur, donec satisfiat pro injuria. Res captæ pignoris loco sunt, dicuntur *Marck* unde *de Marck Brieffe*; hæ eodem jure licitæ sunt, quo ipsum bellum, justitia hujus rei est, quod subditi teneantur defendere principem suum, si jam omnes, multo magis pauci bello infestari possunt, minus ergo est cum paucis, quam cum toto populo societatem rumpi, conf. *Grot. L. 3. c. 2. per tot* de repressaliis extant commentarii *Andrea Dalneri*, *Bernhardi Lunefii*, *de Castillo*, *Gothofredi Peshwizii*, add. *Zigler de jur. Maj. l. 1. c. 34. Limm. jur. publ. 10. 8. 304. seqq.* iniquitatis eas plenissimas esse, sed absque ratione uti credo, pronunciant *Ventura de Valent. part. litig. l. 2. c. 2. n. 30.* aliique, quorum argumenta discutit *Zigler de l. M. l. 1. c. 34. n. 29.* repressaliæ enim locum habent, quando jus denegatur, quod fit non solum si in fontem aut debitorem judicium intra tempus idoneum obtineri nequit, sed & si in re minime dubia plane contra jus judicatum fuerit, hoc tamen jus ad vitam minime extenditur. *Grot. II. 21. 11.*; singulis quoque quibusdam casibus jus pignoriandi, non quidem jure proprio, sed concessione summæ potestatis competit.

§. XXVI. Monita de bello non temere, nec nisi ex justa causa incipiendo, prudentiæ politicæ non juridicæ sunt, ea ubivis Principes Generosiores opinio tenet, non nisi urgente extrema & inevitabili necessitate bellum sese, quippe cujus exitus tam anceps periculosusque est, suscepturos, suscepto autem bello magis æquitatem, quam rigorem juris observaturos, de quo per tot capita *Grotius* & commentatores passim, interque eos *Kulpifus* in sæpe laudato Collegio conferendus.

*Monita  
de non sus-  
cipiendo  
bello.*

CAP.

## CAP. XI.

## De Pace.

## §. I.

*Bello finem  
dat pax.*

**C**um non infinitum bella gerere conducatur, quippe quæ horrendum naturali, quæ inter homines est societati, vulnus infligunt, quin cum per bella genus humanum stragibus fatiscat, cædibus squaleat, in odia, vastitates, & in feritatem prope dissolvatur, ita finem & colophonem cruento huic remedio imponere fas erat, sit hoc per pacem, quæ aureo idcirco nomine insignitur, quare non inutile quid nos facturos credimus, si post bellum, pacem, inducias, medios populos, jus postliminii, ipsosque tandem, per quos pax promoveri solet, legatos pararios sc. atque nuncios hic jungamus, cum hæc capita extra belli aleam posita videantur. Pax sumitur (1.) proprie & strictè, qua de bello agitur (2.) in genere pro statu civitatis quieto, posterior significatio supponit, pacem constitui posse, quamvis nullum præcesserit bellum, in hæc enim cujusque gentis tranquillitate humanum genus fundatum. In priori sensu rectè pax describitur, quod sit transactio de causa inter summas potestates controversa, pax enim de eodem negotio inquitur, de quo bellum erat, vel metuebatur, uti in privatorum litibus de eo transigitur, de quo liserat, vel litis metus l. 65. §. 1. ff. de Cond. Indeb. l. 2. C. de transact. Dn. Cocceji disp. de postlim. in pace sect. 1. §. 6.

## §. II.



§. II. Pactiones inire, quæ actu suo bellum finiunt, non nisi eorum est, quorum est bellum, videlicet summæ potestatis adeoque vel Regis, vel optimatum, vel populi: captivus Rex retinet Regnum, ejusque administrationem, ergo & jus pacis condendæ, secus id erit, ubi notoria pacis injustitia fuerit, secus etiam, ubi pro liberatione partem Regni promiserit, quod sine populi consensu facere nequit: exul Rex, quippe qui nullam Regni administrationem habet, pacem facere nequit *Conf. Grot. l. 3. c. 20. §. 1. 2. 3. 4. Textor. c. 20. §. 8. Bodin. de republ. V. c. 6.*

*Qui pacem faciant?*

§. III. Si regnum vel portio regni per pacem transferenda, utrobique populi consensus & publica utilitas concurrere debent, successoribus, quippe cum horum negotiorum respectu Principes immortales sint, heic obligatis, nisi extrema necessitas & alienatio rite non facta contrarium svaferint. *Grot. d. l. §. 5. 6. 7. Instrum. pac. suec. art. X. XI. XII. XIII. Gall. art. 70. add. Bœcler. Notit. I. XIIX. p. 199.* Si privatæ res ex jure eminentis imperii alienatæ fuerint, damnum de publico refarciatur, regula itaque est, quod civitas vel Rex præstet damna subditis à se, non casu bellico data. *Grot. l. 2. c. 14. §. 7.*

*Quid juris si portio regni per pacem transferenda?*

§. IV. Pace facta cessat armorum strepitus, de damnis bello illatis lis post pacem durat, nisi de iis quoque transactum sit, olim fœdere amicitia, vel hospitii, hodie amnestiæ, duo hic concurrunt, ut vel restitutio fiat, vel ne fiat. Pace quæ transacta est, rupta, ex priori causa agitur, cujus effectus est, ut etiam præter damna data, pœna adjecta exigi possit,

*Quis effectus pacis?*

nova



nova belli causa data prior pax salva, nova causa novum agendi jus suppeditante. *Grot. d. l. §. 7. 8. 9. usque ad §. 20.* pace a subditis, non sociis, rupta tenetur. Princeps, unusquisque enim ex facto suo suorumque, non sociorum tenetur. Uno pacis articulo rupto, non censentur rupti plane diversi, nisi connexi fuerint, regula juris communis est, non infeliciter huc trahenda, utile per inutile non vitiatur, fieri enim facile potest, ut in una pace plures contineantur, transactiones, superflua subinde cautela non nocet. *Grot. l. 3. c. 20. §. 34.*

*An sorti  
vel duello  
pacis causa  
subjici possit?*

§. V. Princeps sorti vel duello pacis causam bellicue eventum regulariter submittere nequit, quanquam tamen ipsum duellum consensu Principis concessum non sit injustum, praesertim, si tam potens sit Princeps, ut belli aleam exspectare possit, praeterea tale duellum non inhonestum existat, quod contingeret, si vel ipse Princeps duellum subiret, vel Dux aliquis belli hoc susciperet, is enim mandatum hoc in casu suum excessisse videtur: Interea tamen caeteris paribus prius duellum maxime licitum est, cum dimicatio in bello per mille expedienda, melius uni, si id fieri possit, quam pluribus, committitur, quin de J. N. nec certus nec definitus bellantium numerus est, qui per multos quin pauciores expeditur, imo minori hic dispendio bella geruntur, parcitur enim sic humano, qui tam pretiosus est, sanguini, ipsum subinde bellum non nisi sors, seu litis alea est, denique & ipsa, sine qua Respubl. aliter defendi non poterat, necessitas justitiam hujus rei satis evincit, valetque  
adeo,

adeo, quod cui id, quod plus est, etiam id, quod minus est, liceat, neque dissentientium rationes quicquam ponderis habere videntur, quasi Deus hec tentetur, certos esse bellandi modos, quæ refutatione vix egent sua, modo iterum hic extrema adfit necessitas, quæ tum adesse intelligitur, quoties nostræ vires hostium vires haud æquant: is vero hic vincit, qui altero superior est, quod ex variis signis, quando ultro se recipit, &c. satis intelligitur. Quæ vero de arbitris hac in causa assumendis late differunt, ea à mero Principum, ita inter se paciscentium consensu & dispositione dependent. *Grot. l. 3. c. 20. §. 23. II. 23. Alber. Gentil. III. 15.*

§. VI. Accessiones pacis sunt obfides & pignora, illi vel sponte se offerunt, vel inviti dantur, cum quilibet ad defendendam Rempubl. obstringatur: obses ipse se dedens non fugit, deditus pro capto habetur, adeoque fugit, non vero occidatur obses, quippe qui amplius non resistit: obfides, mortuo eo, pro quo dabantur, liberantur. *Grotius d. l. §. 52.* Obligatione enim principali extincta, accessoria quoque tollitur, liberantur quoque mortuo Rege, qui eos dedit, nisi causa dandi fuit realis, aut quod interdum fieri potest, soletque, si obfides non meram alienæ obligationis accessionem faciant, sed revera partem principalem tanquam expromissores expleant. *Grotius III. 23. 16. Obrecht. disp. de sponsor. pac. Hobbes III. 20. seqq.* tenetur quoque summa potestas incommodum his, qui patiuntur, aut proximis repensare. *Conf. Alber. Gent., II. 19. Hering. de fidejus c. 7. n. 538.*

*Accessiones  
pacis.*

Z

§. VII.



*Inducia  
quid.*

§. VII. Induciæ de processu, pax de causa belli fit, perinde uti in causis privatorum feriæ non tollunt causam, sed processum suspendunt, induciæ sunt conventio, per quam bello manente ad tempus bellicis actibus abstinendum est. Induciæ plerumque ad breve tempus fiunt, pax perpetua est, pacto tamen & paci tempus adjici potest, induciæ etiam in longum tempus prorogari possunt, his tamen finitis nova non est opus clarigatione, tempus induciarum arbitrarium est, adjectum tempus computari solet, interdum continuo ad momenta temporis facienda numeratione, interdum cum designatione termini. *Grot. l. 3. c. 21. §. 4.* Obligare incipiunt ipsos contractantes statim ex quo contractus absolutus est, subditos utrinque, ex quo ad notitiam eorum per publicationem pervenire potuit. In induciis igitur omnes actus belli illiciti sunt, quare ire, redire ultro citroque eo paratu, qui periculum nullum ostendit, licet. *Add. Alb. Gent. p. 310. ubi contra Bartoldum hæc disputat.* Sicut & recedere cum exercitu, item reficere mænia, milites conscribere, ast non licebit corruptis hostium præfidiis, quæ ipsi tenebant loca invadere, nec subditos deficientes recipere: Quare non licet hostem turbare in sua possessione, nec in controversa præjudicium perpetuum facere, at in proprio omnia agere: Induciis à parte altera ruptis petenda est satisfactio, qua negata, nova belli causa est, si autem hoc in casu pœna conventa sit, eaque poscitur ac solvitur ab eo, qui contra fecit, jam bellandi jus non erit. Induciæ aliæ universales, aliæ particulares

ticulares ad quosdam actus. *Conf. integr. tract. Octav. Vulpell de induciis. Strauch. & Schurtzschleischii speciales dissert. de hoc argum. & Grot. l. 3 c. 21. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 9.*

§. VIII. Jus commeandi extra inducias privilegium quoddam est, de quo regula tenenda, commeatu concessio continentur necessaria. Commeatu ad certam urbem dato, urbeque, antequam eo pervenit, capta, in ista urbe retinebitur is, cui commeatus concessus, commeatus enim ad commeandum est datus, & hæc securitas tantum in itinere, non in loco præstari debet. *Conf. Alb. Gentil. II. 14. & Gregor. de Magalottis, qui in tractatu tractatum extat. Wipperman. disp. de salvo conduct.*

*Jus commeandi quid,*

§. IX. Conventio de pretio semel facta rescindi non potest, eo, quod captus intelligatur locupletior, quam credebatur, *Grot. d. l. §. 25. l. 21. C. de SS. Eccles. an pretium conventum, & ante mortem non solum ab hærede debeatur, & an in carcerem redire debeat, qui dimissus est sub pacto, ut faceret, dimitti alterum, qui factum morte prævenerit, acriter disputari consuevit. De illo putamus pretium promissum deberi ex eo, quo libertas abeundi data, hoc casu utique redibit, secus, si post libertatem mortuus fuerit. Grot. d. l. §. 28. 29. 30. Burger. Cent. 1. O 30. Hottom. quest. illustr. 5. Alb. Gent. II. 15 p. 335. Stamm. de Serv. person. l. 3. c. 5. Quam decisionem hodierna praxi militari servari, Gravis est testis Hojerus p. 432. & 435.*

*An conventio de pretio rescindi possit*

*Quid mi-  
nores pote-  
states circa  
pacem pos-  
sint?*

§. X. Minoribus in bello potestatibus inter se paciscentibus regula est, quod inferior potestas utatur. (1.) Jure privatæ defensionis. (2.) Mandati, & quod inde sequitur, ubi omnia intelliguntur concessa, sine quo quis illud expedire nequit, tacita autem fides est, quæ vel verbis exprimitur, vel ex facto aliquo intelligitur, idemque valet, quod expressa, v. gr. quod tuti esse velint, dum invicem colloquuntur, quod collegæ censeantur in omnia consentire, sine quibus collegium finem suum sortiri nequit.

*Quid per  
pacem de-  
cidatur.*

§. XI. Pax igitur, uti supra dictum, est transactio de causa inter summas potestates controversa. Per pacem non deciditur jus partium, seu causarum justitia, quia de ea transigitur saltem per pacem. Aliud decisio, aliud transactio: Pace simpliciter facta non continetur transactio de damnis atque injuriis pendente bello factis: Aliud enim sunt injuriæ ac damna, quæ bello fiunt, aliud belli causa, illa cœptum bellum sequuntur, hæc ante bellum est, & bello prior, ex illis bellum nascitur, hæc ex bello; illæ ad privatos quoque pertinent, hæc publica est. Male igitur *Gudelinus comm. de jure pacis C. 3. Besold. diff. Jur. Pol. de pace c. 3. §. 6. satis refutati à Dn. Coccejo diff. de postlim. & pac. sect. 1. §. 8.* putant, ipsa pacis natura contineri amnestiam seu transactionem de damnis.

*Quale  
Stante bel-  
lo, hostium  
judicium  
& origo ju-  
ris postlimi-  
ni.*

§. XII. In bello quæque pars se jure, alterum injuria agere contendit, uterque sua arma justa, hostium injusta, uterque, quoties ipse bello quid agit, capit, lædit, id jure; quoties hostis, injuria fieri, & sibi soli, non hosti, jus ex actibus bellicis nasci contendit. Atque





que hæc est natura omnis disceptationis seu contentionis, quippe quæ in contradictione consistit. Idem iudicium sequuntur focii & amici cujusque partis; reliquæ gentes, quicquid alterutra pars agit, pro jure habent, neque enim cognoscere aut statuere de injuria partium jure possunt, qui earum iudices non sunt, neque partes, quæ Judicem non habent, injuriæ ab aliis convinci, vel condemnari queunt. Hoc ipso enim, quod Gens aliqua factum partis improbaret, hostium rationem indueret, & desineret esse media, quia adversæ partis causam iudiciumque sequeretur, cujusque iudicium in suo territorio valet, non ultra. Hi sunt fontes, ex quibus jus postliminii resultat, hoc ipsum quoque principium est, quo nititur jurisprudentia Romana, uti constat *ex l. 19. in f. pr. l. 12. §. 9. ff. de capt. & Postlim. revers.* Est igitur nihil aliud hoc quam jus, quod nascitur ex reditu in limen, de quo jure late *Grot. l. 3. c. 9. per tot. Pufend. VIII. 6. 25. Text. XVIII. 77. Connan. l. 3. c. 14. Duaren. de usur. c. 8. Cocc. dict. disputat. de postlim. in pac.*

§. XIII. Postliminii itaque jure gaudent personæ ac res, si enim res, quas hostis à civibus nostris cepit, intra fines nostros reversæ fuerint, cedunt pristinis dominis, idemque in personis, quæ ab hostibus captæ, & quovis modo reversæ pristina jura, quæ ablata sunt, omnia recipiunt, quasi nullo jure ablata. Idem est, si ad socios vel amicos nostros, qui idem nobiscum iudicium eandemque causam sequuntur, pervenerint; Cum vero res captæ apud hostes sunt, nihil quicquam nobis in eas juris est, idem-

*Quæ personæ ac res postliminii jure gaudent?*

idemque est, si res, vel personæ captæ ad alias Gentes pacatas, aut medias pervenerint, quare his casibus nullum tenebit jus postliminii, nam & illæ Gentes, cum aliarum gentium Judices non sint, factum harum pro jure habent, & capienti rem restitunt, sin fecus, vis armorum incipit, cum gens media in casu denegatæ restitutionis judicium hostis sequatur. In mobilibus quoque rebus postliminii jus tenet, quod contrarium jure Romano *l. 28. ff. de capt. & postl.* statutum, meri juris positivi est, frustra *Grotio d. l. 3. c. 9. §. 15.* bene heic sentiente *Carpz. Jurispr. for. IV. c. 35. d. 9. inf.* Capti jure postliminii gaudent, dediti se contra proprium factum subducere hosti nequeunt, si redeant, pro transfugis habendi *l. 1. ff. de Capt. & postl. revers.* Si vero populus ipse dedit personam, vel urbem, eximere illa quidem se hosti potest, perinde ac si capta esset, at populus eas recipere nequit. Deditare ab hoste deserta, postliminio locus est. Quod urbibus ac provinciis deditis postliminium competat, nunquam inter gentes dubitatum, cedunt enim pristino Imperio. Jus hoc, pace licet facta, durat, unde si res non vi recuperata, sed sociis aut donata, aut vendita fuerit, postliminii juri tamen subjacet *l. 6. §. 2. de capt. & post. revers.* quam venditor & socius ceu alienam restituere tenentur.

### ADDITIO.

Ad fidem in pace adstringendam varia securitatis nomina ac vincula, cautionumque firmamenta, quæ hodie nomine Guarandiæ circumferuntur, sunt adinventæ. Guarentia in genere omne id est, quo pars contrahens securior fit de pace observanda, omnisque adeo cautio, securitas, defensio, quæ pro



pro pace interponitur, vel suscipitur, quod qui facit est *guarrende la paix assureur de la paix*. Alia *Guarantia* est generalis, alia specialis. Illa extenditur ad omnia capita pacis, omnesque personas, hæc ad certas tantum personas vel causas restringitur. Ipsa pars pacem faciens in majorem securitatem repromittere potest, omnia pace comprehensa servatum præstitumque iri. Quo sensu *guarantia* quidem pactum a pace distinctum, sed ei ita adjectum est, ut legem det paci, ejusque conventioni, accedit *guarantiæ* nonnunquam *jurisjurandi religio*; Imo etiam sub hac formula, ut istiusmodi *guarantia* perpetua lex & *pragmatica imperii sanctio* imposterum velut *lex fundamentalis* observanda sit, concipi solet. *Guarantia realis* in toto principatu, omnibusque ejus terris, vel præterea quoque in bonis principis mobilibus ac immobilibus, vel denique in certis terris aut bonis constituitur. Quod si pluries pax cum alio atque alio diversis temporibus cum tali formula *guarantiæ realis* facta fuit, antiquior prævalebit, perinde, ut in privatorum causis *hypotheca* tempore prior. Quod istam *guarantiæ speciem* concernit, quando parti securitas pacis præstatur interventu aliarum personarum, quæ in casum violatæ pacis tenentur, hæc personæ vel propria autoritate propriaque voluntate interveniunt, & hi *guarandi* vocantur, vel alterius autoritate atque imperio & dicuntur *obsides Gaisfel*. *Guarandi* proprie dicti intercedunt & obligantur vel instar *fidejussorum*, vel instar *cautionis* pro evictione. Instar *fidejussorum*, cum extranei partibus spondent pacis securitatem contra ejus violatores. Instar *cautionis* pro evictione vero, cum e contrario partes ipsæ eandem securitatem pacis repromittunt contra violatores, *guarandi*, parte læsa vel invita, vel nihil conquesta, nec opem requirente, si solius hoc casu partis intersit, pacem vindicare non possunt; mediatores quoque, si in pace id cautum non sit, *guarantiam* non præstant; neque hoc manus sigillumque mediatoris, paci adjectum, operatur. *Guarantia paci inserta*

inserta ad accessiones pacis v. gr. ad pacta, quæ paci accedunt, non pertinet, nisi pacta illa in continenti accesserint paci, neque guarandia ad aliam pacem extendenda, neque guarandi ex lege guarantiæ adstricti sunt, ut violationem pacis statim armis vindicent, sed ingenere, ut operam dent, ne quid contra pacem committatur, vel ut commissum resarciatur. Quousque ergo transigi res amica, vel decidi juris via potest, nondum arma & bella movere Guarandus debet, tentare igitur omnino debet viam juris & amicabilis compositionis, obligatio guarantiæ ad hæredes quidem publicos seu successores territorii, non vero privati patrimonii transit.

*Ad pacem  
 felicius ob-  
 tinendam  
 necessarii  
 sunt legati?*

**§. XIV.** Ut tandem negotia belli pacisque tanto melius expedirentur, & ut bello finis imponeretur, necessum erat aliquas personas ad ineundam pacem instructas singulari immunitate & inviolabilitate muniri, personæ tales legati vocantur, tale jus ab ipsa natura constitutum, nemo enim harum pacti-  
 onum nuncius seu pararius esse posset, propter illam, quæ in bello legitima est, sæviendi, nocendique invicem licentiam, nisi in nuncios hos illa cohibeatur, & eadem illa, quæ in pace viget, securitas sanciat. *Dn. Coccej. disp. de Representativa legat. qual. §. 3.* Legatus igitur persona publica est, quæ a libero populo ad liberum populum mittitur; natura igitur legati sunt inviolabiles, nisi tantum speculandi vel lædendi causa mittantur. Huc non pertinent, qui e provincialibus aut municipalibus, vel à privatis, vel latronibus mittuntur. *Conf. hic Textor. c. 14. Pufend. II. 3. 32. Grot. 2. 18. Kulpif. de Legat. Stat. Imper.* Is enim potestatem aliquam alteri committere potest, qui ipse eam jure proprio non beneficio alieno habet. *l. 5. ff. de Jurisdic. l. 5. ff. de off. ej. cui mand. Jct. c. 1. de ord. in 6.*

**§. XV.**



§. XV. Jus igitur hoc inviolabilitatis per naturam quoque sancitum est. Omnia enim omnino à natura vel injuncta, vel concessa sunt media, sine quibus ejus decreta aut jura explicari nequeunt, jus hoc omnibus nunciis in bello ad hostem missis, licet tubicines saltem sint, commune est, sc. ad destructionem societatis humanæ pertineret, eam rebus humanis imponi necessitatem, ut, cum dissensio aliqua inter duos populos oritur, nunquam debellatum videri posset, nisi cum internecone alterius seu utriusque partis. Præter illud autem duo adhuc spectantur in legato 1. vis & auctoritas tractandi negotia nomine mittentis, quam ex mandato, quo ipsi id committitur, habet. 2. Dignitas quædam, quæ repræsentat ipsum Principem mittentem, quam consequitur tali caractere a mittente sibi concesso. *Cic. Orat. 50.* Hæc repræsentatio non est ipsa dignitas Principis, sed ejus quædam imago & umbra, quæ legatus non fit Princeps, sed aliquam Principis ideam & formam refert, neque perinde dignitas legati par est dignitati Principali, sed ita ei similis ut imago rei, idea veritati, umbra corpori. Legatorum, qui secundum hodiernum curiæ stylum in *Ambassadeurs & Envoyes* sive primi & secundi ordinis legatos dividuntur, insignis est differentia, ea tamen non nisi ad effectum characteris repræsentativi pertinet, alii enim plenipotentarii sunt, alii deputati, alii commissarii, alii negotiorum gestores, alii officiales, alii Residentes, alii ordinarii, alii extraordinarii. *Conf. Kulpis. in comment. de legat imper. & Wicquefort in tract. de Ambassadeur. & ses fonctions passim.*

*Immunitas  
legatorum  
a natura  
est.*

*Quibus  
hæc quali-  
tas com-  
mitti pos-  
sit.*

§. XVI. Committi hanc qualitatem omnibus posse, nihil videtur impedire, si absolute de jure mittentis quæras, cum in potestate Principis sit dignitates, cui velit, conferre, unde tonsores, mendicos, obsecuros homines, fœminas, legatos fuisse refert Cominæus; sed totus hic tractatus aliaque, quæ legato vel observanda, vel in ejus persona desiderantur ad politicam spectant, convenientiusque est, ut persona respondeat muneri injuncto, tum ratione generis, tum ratione doctrinæ, & rerum experientiæ. Legati autem admittantur; nisi justa causa obstet, hæc specialis esse potest, interdum ex conditione Personæ ejus, qui mittit, vel ejus, qui mittitur, aut ex conditione rei sive negotii, ob quod missio fit, imo si stricte hanc rem consideres, indistincte legatum repelli posse videtur, uti enim Princeps de territorio suo disponit, ita jus est, exceptio tamen est, nisi legatus ad satisfactionem offerendam pacemque adeo stabilendam missus. Legatus diligenter mandati terminos custodiat, nec in particula aliqua, licet meliorem forte causam Domini efficere possit, decidat, sed semper superiorem consulat: pluribus missis unius dissensus negotium dissolvit, duo legatus habet mandata vel (1.) secretum ex quo ipse & is, a quo mittitur, obligatur, quod dicitur instructio, vel (2.) publicum, vi cujus potestas agendi legato conceditur, alterque Princeps, ut legatum admittat, rogatur, vulgo dicitur *Credens Schreiben*. Deinceps ipse legatus non tantum potest, sed tenetur ordinem dignitatis Domini sui religiosissime servare, cum nihil ipse possit de Majestate ac jure Domini sui remittere. §. XVII.



**§. XVII.** Si legatus deliquit, quoniam in loco puniri debeat, varia est Doctorum sententia, de quo integrum tractatum conscripsit, *Zouchæus de foro legat. delinq.* Putamus nos legatum in loco, ubi deliquit, & conveniri & puniri posse ex omni causa: scilicet jus Gentium in legatis id saltem restituit, quod jus belli abstulerat, nimirum ne lædi possent. Et cum jus illud sanctos & inviolabiles duntaxat legatos præstet, sancti demum videntur, qui ab injuriis defensi sunt. *l. 8. pr. d. R. D.* nec violari dicuntur, contra quos jure agitur. Crimen enim qui vindicat, non violat jus, sed implet. Hostilem itaque violentiam jus Gentium prohibet, non legitimam juris executionem, & securitatem præstat non impunitatem peccandi, legati non ad delinquendum sed agendum missi, delinquentibus beneficia non dantur, inviolabilitas hæc ad officium restricta, adeoque cessat, si quis officii terminos excesserit, accedit, quod Principis potestas per totum territorium se extendat, & ambitu suo omnes in eo viventes complectatur, tandem nec legatus plus juris prætereundum poterat, quam ipsius principalis habiturus fuisset, qui in alieno delinquens territorio punitur, privatus enim iniubi est, in privatum autem pæna prodita est, *Conf. Liv. l. 2. c. 4. Camd. sub anno 1584. Bodin. l. 5. de Republ. c. 6. in f. Arum. disc. ad A. B. l. th. 21. Zouch. d. tr. c. 6. Coccej. dissert. de fundata in territor. potest. tit. 2. th. 10. & diss. de represent. legator. qual.* frustra dissentiente hic *Grotio lib. 2. c. 18.* & quæstionem hanc ex præsumpta Gentium

*In quo foro  
ob delictum  
commissum  
legatus pœ  
niatur.*



voluntate, ex solo iudicio sapientum & conjecturis decidente. Verum Principes hoc jure raro utuntur, tum ex stimulo quodam generositatis, tum in honorem Principis, quem legatus repræsentat. Nam ob venerationem Principalis ac Regiæ dignitatis, quæ ipsis, qui miserunt legatum, communis est, solent potius legatum, qui illius dignitatis imaginem refert, principi suo remittere, quam ipsi punire *Dn. Coccej. d. d. §. ult.* quodque jus revocandi domum habuerint, id juris positivum est.

*Qui legati  
si rejici  
possint?*

§. XVIII. Officium igitur erga legatos in duobus momentis consistit, in admissione & inviolabilitate, quantum ad admissionem, dixi jam legatos sine causa justa regulariter non esse rejiciendos, quod ad eos quoque, qui ab hoste mittuntur ad hostem, extendendum erit. Nam in medio statu belli æquitas postulat cogitare de pace & audire alterius pacis consilia. Justæ autem causæ, quare legatus admitti non possit, sunt, si certum sit, legatum non super pace aut negotiis publicis, sed ad seditionem concitandam; civiumque sollicitandos animos venisse, si non legatus sed explorator, si ad tempus extrahendum, eaque mora rebus Domini sui consulendum, & alteri, ad quem missus est, nocendum venerit. Unde putant aliqui, optimo jure rejici posse, quæ nunc in usu sunt, *legationes assiduas residentium*, quod tales magis ad expiscanda alterius reipubl. secreta, quam pacis causa in aliquo loco hæreant, adeoque sint honestæ explorationes eorum, quæ in Republ. geruntur. Privilegia inviolabilitatis legatis indulta ad eorum



eorum comites quoque porriguntur; Jus talionis in legatis quidem obtinere non debebat, verum cum legati ut subditi principum suorum facta præstare teneantur, ita contrarium quoque usus seculi servat, quod si territorium hostile pertranseant, hac inviolabilitate non gaudebunt, non enim obligat Jus Gentium nisi eos ad quos legatus mittitur. *Dn. Thomafius jurispr. div. l. 3. c. 9. §. 15. 17. 21. 25. 26.*

### AD DITIO.

Ad pacem promovendam componendasque inter summas potestates controversias sæpius mediatores intervenire solent; mediator hic est, qui bellis inter principes vel populos transigendis ex utriusque partis placito intercedit, eoque nomine receptus est, qui, etsi semel receperit officium, poterit tamen re integra desistere invitis quoque partibus. Requiritur autem in mediatore, ut medius sit inter utramque partem, atque adeo a partium studio remotus. Varia mediatorum seu arbitrorum pacis genera ac modi sunt, uti 1. cum alii principes pacati officia sua interponunt, qui maxime proprius & frequentior modus est. 2. Cum utriusque partis amici coeunt, aut rogati aut oblati tollendis diffidiis 3. cum ejus, qui unius partis est, fides & æquitas ab utroque in arbitrium vocatur. Verum id ob simulationum fraudes & proditionis occasiones anceps atque intutum & periculi plenum videtur. 4. Cum pactis vel foedere cavetur, cui arbitrium, si lites exurgerent, committendum sit. Mediatores possunt esse quicumque, etiam clerici, foeminae, imo & ipsi privati, posterius tamen raro contingit, non quod non liceat, sed quia non expedit, si tamen privatus ita eligatur, prudenter aget, si, an tale officium suscipere possit, principis sui consensum approbationemque requirat. Mediatores eorumque subdelegati omnia ac singula legatorum jura ac privilegia habent, unde &

& ipsi, & qui ab iis mittuntur sunt sancti ac inviolabiles, & hī  
 principis sui personam caractere referunt, illud quoque ipsi  
 præcipuum tribui solet, ut in causa & negotio mediationis  
 primum illi inter legatos omnium principum, etiam eorum, qui  
 alias ordine priores ac potiores sunt, locum obtineant; quod  
 tamen ex humanitate non præciso juris vinculo tenet, media-  
 torum præcipuum in eo officium consistit, ut quicquid ad  
 conciliandam pacem & concordiam, molliendumque ani-  
 mos ac odia facere potest, diligenter observent: Hujus rei  
 momentum omne præcipue in autoritate, gratia, prudentia,  
 fide & industria subdelegatorum positum est; processus ar-  
 bitrii hujus in tribus potissimum momenti, præliminaribus  
 scilicet, ipso tractatu, & conclusionem consistit; locus conventus  
 utrique parti placere, ab eaque approbari debet. Eligi com-  
 muniter solet locus qui alterutrius partium est, & abolendæ  
 suspitioni certæ leges utriusque voluntate statuuntur, nimi-  
 rum ut talis civitas neutralis habeatur, ut vinculum, quo ci-  
 ves & senatus principi suo sunt obstricti, solvatur; ut præsidia  
 medio tempore deducantur, ut legatis securitas ac præsidium  
 causæ, quin & reverentia spondeatur. Cum vero de mandatis  
 seu plenipotentiis *Vollmachten* quin & de literis salvi con-  
 ductus *frey sicher Geleide* gravissimæ sæpius suboriantur con-  
 troversia, mediatoris officium est, ita se interponere, ut vel  
 alteri partium causæ iniquitatem, vel alteri rei inutilitatem  
 dextre demonstrat, atque adeo vel ille injustitiæ convictus,  
 vel hic de rei iniquitate persuasus cedant, ille jure, hic pacis  
 amore, generaliter ad officium mediatorum pertinet, pro-  
 virili in id incumbere, ut omnibus rebus, omnibusque, quæ  
 suboriri posse videntur molestis atque dissidiis ante causæ di-  
 sputationem ita prospiciatur, quo sine offensione peragi illa  
 feliciter possint. In causa ipsa pertractanda prima pars est pro-  
 positio cujusque partis, quæ instar libelli est, quo quisque jura  
 vel gravamina sua exhibet mediatori, a quo deinde ea invi-  
 cem communicantur, diciturque *die gegeneinander geschehene*

Aus

*Auswechslung/ naturalis autem agendi & transigendi negotia series est, ut, quemadmodum in judiciis fit propositio exhibita, alterius exceptiones, tunc illius replicatio, deinde hujus duplicatio, & sic porro si necesse fuerit, ordine exhibentur invicemque communicentur; mediatores autem pace conclusa nō interpretantur pacem, nec ad guarantee tenentur. Cum vero mediatio amicitiae ratione affectuque suscipiatur, adeoque onera, sumptus, & expensae in mediationem factae non repetuntur, non enim principum generositate ac magnitudini convenire videbatur, ut operam quasi mercenariam praestent, quos maxime decet liberalitas atque magnificentia* *Conf. illustr. Dn. Cocceji disp. de officio & jure med. pacis*

## CAP. XII.

### *De Pœnis.*

#### §. I.

**E**A est hominum ad omne malum communiter propendentium naturalis inclinatio, ut raro quis ad debitam legis mensuram se componat, sed, si occasio ferat, in odia in damna proximi celeri conatu erumpat, unde e re humanae societatis summaeque potestatis erat, hanc hominum malitiam, per debita remedia constringendi, prior malefacienti actus delictum, posterior poena est, ille illicitus, hic justus; uterque in privatione juris consistit; delicta enim & poenae materia conveniunt, & utraque in ablatione juris consistunt, illo modo injuste quis privatur jure suo, hoc juste à judice. *Magn. Dn. Coccei. posit. jur. Gent. 13. conf. Grot. l. 2. c. 20. passim. Seld. lib. 4. Pufend. c. 3. Lambert. Veltbus. tr. de justitia divina & humana. p. 11. Althusius & Besoldus speciali. quisque dissertat.*

*Origo poenarum & delictorum.*

#### §. II.

*Pana quid?*

§. II. Poena est privatio boni vel juris nostri ob delictum, nihilque aliud est, quam delicti æstimatione. *l. 41. ff. de Pœnis*, qui male fecit, malum ferat, quod antiquissimum & Rhadamantheum jus vocant Philosophi. Jure naturali obligatio ex delicto est ad talionem, Regula enim est, quod ablatum in pristinum statum sit restituendum, quoties enim hoc cessat, toties remanet injuria. Id enim sanctissimum naturæ decretum imperat, ut resarciatur alteri id, quod ex ipsius patrimonio abest, quando igitur debita hæc æstimatio præcessit, cessat injuria, si vero id, quod ablatum est, redintegrari non possit, ejus in locum, succedit illud, quod supra dixim⁹, tantundem, firmatur hæc sententia tum ex sacris tum ex profanis legibus, manum pro manu, oculum pro oculo, dentem pro dente restituendum esse, indicantibus *Conf. judic. c. 1. v. 6.* intelligenda autem hæc non de reparatione proprie sic dicta, sed de morali æstimationis ratione, in *LL. 12. tabb.* lex est, si membrum ruptum est, talio est. Ex quo confectarium est, plurimas pœnas veluti furti, bonorum raptorum, & tot alias, meri juris positivi esse, quarum rationem summa utilitas, & quod sine iis vix Reipubl. incolumitas salva, sana, & constans esse poterat, suadet, aut, si ejus duritia increpetur, excusare videtur.

*De talione  
nec ipse  
DEus di-  
spensat.*

§. III. De talione nec ipse Deus dispensat, cum imperfectionem in summo numine argueret, alteri jus aliquod detrectare velle, Deus subinde justissimus est Zelotes, quia peccata non dimittit impunita, tametsi misericordiæ sit remittere, justitiæ tamen est, punire.

punire. Ut talio hæc iusta sit, necessum est, inter per-  
 sonas delinquentes teneat, nec enim naturaliter pu-  
 niri potest, qui nihil deliquit, sed pœna ibi tenet, ubi  
 delictum vel meritum est *l. 22. C. de pœnis c. 22. c. 23. d.*  
*R. I. in 6. c. 1. caus. 24. quest. 3. Ezech. XVIII. v. 4. &*  
*seqq.* Unde quoque ex hac talionis lege fluit, quod si  
 alter quid injuste à me petierit, non ægre ferat, si idem  
 ab ipso prætendam, quæ justitia est edicti *quod quis-*  
*que juris in alt. stat. ut eodem jur.* Consequens etiam  
 est, homicidii pœnam natura capitalem esse, cum  
 enim reparatio injuriæ in omni delicto necessaria sit,  
 fane vita & sanguis hominis tam pretiosissima & in-  
 comparabilis portio nulla re, nec prece nec pretio,  
 nec arte nec marte reparari potest, necessum igitur  
 erat, ut secundum talionis legem sanguis pro sangui-  
 ne effundatur. Eadem dispositio ob cumulationem  
 tantorum facinorum injuriarumque in adulterio  
 fervenda videtur. Ingens enim heic & irreparabile  
 damnum familiæ, posterisque omnibus illatum, i-  
 psam hic hominis domicilium inquinatur, partus  
 alienus substituitur, unde jura familiæ successioque  
 omnis turbatur, quin alendi onus ad innocentem,  
 maritum devolvitur. *Conf. Deuter. XXIV. v. 16. &*  
*Exod. XXI. v. 12. Matth. XXVI. v. 52. Gell. noct. Att. 4.*

§. VI. Duo igitur hæc a natura capitalia viden-  
 tur delicta; naturaliter autem in pœnis præter repara-  
 tionem, uti diximus, nihil amplius exigitur, omnis  
 enim ad pœnam obligatio injuria est, quæ cessat, si re-  
 parata sit, hæc reparatio ad deterrendos homines J.  
 N. sufficit, &, tametsi major etiam infligeretur pœna,

*Diviso  
 Pœnarum,*

Bb

homi-

homines tamen non deterrentur, quippe qui spe impunitatis semper delinquant, at positivæ LL. propter publicam Reipubl. utilitatem, ejusque securitatem, atque ut tranquilla sit civitas, præter reparationem graviore statuerunt pœnas. Pœna autem alia restitutoria, alia correctoria, illa à natura, hæc ex lege civili est. In illa proportio est inter delictum & pœnam, in hac quo major hominum malitia, eo majus eam coercendi medium adinveniendum. Finis pœnarum igitur est tum publica tranquillitas tum emendatio *l. 20. C. de pœn.* dum ipsi delinquentes sensu pœnæ ad pœnitentiã ducuntur, imposterumque à delinquendo deterrentur, accedit metus iste, qui in cæteros pœnam spectantes diffunditur, vitiis enim, quam primum fieri potest, adimenda est illecebra, quod fieri rectius nequit, quam si dolore quodam subsequente saporem amittant dulcedinis, ne adeoque alii impunitate illecti aliis quibusdã molesti sint. *Conf. l. 1. §. 1. de just. & jur.* longe vero differt pœna à calamitate, quæ casu insontes sæpe premit, & castigatione, quæ ob depravatos filiorum & servorum mores à patrefam. exercetur, sunt enim hæc remedia animorum non minus innocentia, quam pharmaca sensui ingrata. *Conf. l. un. C. de emend. propinq. Grot. §. 4. Hobbes. III. II. add. l. 51. §. 2. ff. ad l. Aquil. l. 14. C. de pœnis l. 2. ff. de LL. l. 176. d. R. l. 17. C. de jud.*

Cui compe-  
tat jus pu-  
niendi, re-  
futatur  
Grotii sen-  
tentia.

§. V. Male putat Grotius, executionem pœnæ cuivis, faniori præ altero judicio gaudenti, competere. Nemo enim, nisi qui summam potestatem habet,

habet, alteri jus suum auferre potest, par in parem non habet imperium, nemo judex est in propria causa, quod hic facile contingeret, judicis officium est, ut sit alienus a studio partium, nemo vero potest se ipsum separare a causa sua, alius est qui parat, alius qui imperat. Poena pars executionis justitiæ est, hæc autem magistratui competit. Magistratui jus tuendi publica & privata jura competit, punire actus legis est *l. 7. ff. de LL.* natura igitur jus hoc competit superiori, & origine summæ potestati *l. 3. §. f. l. 4. de recept. qui arbitr. receper.* Hugo du Roy. *l. 1. t. 6. n. 3. Tabor. armament. just. c. de abus. amor. in def. bon. §. 1. & 6. Pufendorff. VIII. 3. 7.* Vires judicii & immunitas à vitiis tribuunt aptitudinem solam, non jus, quod sine alterius consensu non nascitur, & unde quis aptitudinem suam mihi probabit. Neque enim ipsi simpliciter credere cogor. *Kulp. in colleg. Grot. §. III.* vix dubium est, intersectoribus jus verum, non nudam impunitatem tribui, interfectio enim talis ab ipsa natura est, quam Principes vel per se, vel per alios exercere possunt, frustra hic reluctante *Vasquio* certatim à *Grotio*, aliisque refutato.

§. VI. Imperfecti actus, quales quoque cogitationes sunt, quarum, fatente Jcto, *in l. 18. de pæn.* nulla pœna, nisi in actus extrinsecos eruperint, seu, ut alii loquuntur, si in externum aliquem conatum heic influxerint, ad pœnam infligendam non sufficiunt, actualis autem requiritur injuria, cujus reparationem pœnam esse sæpe diximus, contradictio enim foret, fecisse aliquid, & facere adhuc velle, quod

*Qualis injuria pœna obnoxia sit?*

futurum, factum nondum est, inevitabiles actus, nisi culpam præcedentem involvant, non puniuntur, hi enim in hominum non sunt potestate, quin imò vitia moralia, quæ actus continent, oppositos virtutibus, quarum natura coactionem omnem repudiat, uti sunt misericordia, liberalitas, gratiæ relatio, &c. cum pœnam definitam non habeant, aut obligationem aliquam, uti supra visum fuit, impunita inter homines manent, sic delicta in Deum commissa Deo relinquuntur punienda, l. 2. *C. de reb. cred.* tamen si nullum superfit dubium, hæc delicta in Deum à Magistratu quoque puniri posse, præsertim, si notoria aliqua blasphemia & tale delictum sit, quod non minimum societatem humanam turbaturum erat, & si actus virtuosus à magistratu præcipiantur. *Conf. Grot. §. 20. Velibus. de Princip. Just. & decor. p. 1002. Fransk. Resol. 7. Bæcler. dissert. de actione ingrati.*

*Jus aggratiandi.*

§, VII. Pœnam non obstante stoicorum placito remitti posse dicimus, estque famosum hoc jus aggratiandi, ignoscitur autem ita, vel, ut penitus tollatur, vel ut saltem minuatur pœna, prius dispensationem, alterum mitigationem continet. *Conf. Mart. Navarri. lib. de lege pœnali.* Remissio pœnæ vel ex natura delicti, ut si gravior delicto pœna statuta sit, quæ tum necessaria, vel ex gratia sit, hæc non nisi in delictis contra jus civile, non naturale vel divinum commissis tenet. Inde superior pœnam injuriæ sibi illatæ, aut civilem, non aliam, uti homicidium & adulterium, & quæ in reparando alterius jure consistit, remittere potest. In hac pœnarum taxatione sive æstimatione maxima omnino prudentiæ juri-



juridicæ pars consistit, quantitas criminis puniendi tum ex animo delinquentis, tum ex circumstantiis, & modis seu adjectitiis qualitatibus delicti colligenda est. Animus peccandi auget injuriam ratione superioris, gravius enim omnino delictum est in DEum, ac in privatum aliquem deliquisse. Ultra meritum nemo puniendus. In merito vero examinanda venit causa, quæ ad delinquendum impulit, causa, quæ retrahere debuisset, personæ idoneitas, quæ fuse satis exponit *Grotius d. l. §. 29.* Deus autem nec reparationem juris omittit, nec vera præmia vel dare, vel inferre potest, nisi meritis, atque hæc ex natura perfectionis divinæque justitiæ fluunt, cui utique consonum est, ut immeritis præmia denegentur, meritis ea conferantur. *Conf. in prior. Pufend. §. 3. 18. Veltbus. de Justit. divin. & hum. p. II. p. II. & integr. tr. Martini Navarri de lege pœnali. Cassand. Philosoph. Epicur. part. moral. p. 1514.* aliæ quoque ad remissionem pœnarum causæ esse solent, tum ex merito ipsius delinquentis, aut ejus majorum ortæ, tum ob intercessionem magnatum, ob excellentiam artis, ob liberorum respectum.

§. VIII. In pœnis nullus personarum respectus teneat. Interea tamen alia prosopolepsia est, quæ in diverso personarum jure consistit, eaque licita est, quo nomine masculo & fœmina peccantibus illi gravior, huic mitior infligitur, ita paupere & divite delinquentibus, illi carcer, huic pecunia exsolvenda, si enim eadem & pauperi & diviti summa esset numeranda, illi majus, huic quippe notabilem sæpe summam

*Exulet in  
pœnis respec-  
tus perso-  
narum.*

mam minime curanti minus infligeretur. Altera Profopolepsia est, quæ sine ullo juris respectu solum personæ favorem respicit, eaque injusta est.

*Bella pœnalia ob delicta ab aliis commissa non recte suscipiuntur.*

§. IX. De bellis pœnalibus lata inter Doctores existit disputatio, an ea colore aliquo defendi queant? Vix dubium est, bella contra alios populos ob delictum vel in DEum, vel in naturam ipsam commissum non recte suscipi, nullus Princeps in alium Principem jus atque facultatem habet bellum ob commissæ scelera suscipiendi, par in parem ex famoso dicto non habet imperium, nemo exigit pœnas, nisi qui & leges dat, at populus populo leges non facit, nulla heic alteri principi, ob quam solam causam bellum suscipitur, injuria illata, unusquisque enim extra territorium privatus est, cujus imperium non tantum spernitur, sed eidem recte resistitur, ne dicam, de summa, quæ inde oritura erat, confusione. Excipiendi tamen sunt castus, si communis ea hominum causa, quin, si ad nos quoque injuria pertineat, veluti, si tanta apud populum istum barbaries sit, ut nullo societatis vinculo connectatur, cum tales populi pro prædonibus reputentur, recteque à Principibus, queis sc. in universum genus humanum natura imperium competit, debellantur & subjungantur, utpote si latrones & piratæ, atque ita totius generis humani hostes sint. Porro si populus nunquam jus N. aut Gentium observavit, nihil enim impedit, quo minus in talem populum, communia societatis humanæ vincula turbantem, bellum moveri possit, tollunt enim hi insuper communem, qui à natura est, transi-

tum,



tum, nec tantum in Deum, sed ipsam quoque humanam naturam injuriam committunt, justissimum enim est bellum in belluas, proximum in homines belluis similes. Sic justa credit bella *Grotius* in eos, qui in parentes impii sunt, in eos, qui humana carne vescuntur, in eos, qui piraticam exercent. Unde *Thefeus* & *Hercules* laudantur, quod terram a tyrannis liberaverint. *Conf. Grot. c. 20. §. 40. Feld. ad Gr. Clafenius pol. III. 6. 7. Grashofius de fonte juris p. 9. 10.*

§. X. Propter religionem nunquam bellum inferri potest, religio enim non continetur sub imperii humani terminis, bene dixit, licet barbare dixit, qui dixit, religio epistolice non pistolice promovenda. *Carpzov. qu. crim. p. 1. qu. 44. Clafen. de re pol. 1. Gerbard. de Magistr. pol. n. 314. & peculiares tractatus Joachimi Clutenii, Justi Meieri, Adami Pisezk., Kulp. in Coll. Grot.* Cumque in disciplina Christiana, per se considerata, nihil est, quod societati humanæ noceat, imo nihil, quod non profit, haud dubie contra ipsam rationem faciunt, qui Christianismum docentes, aut profitentes, hanc ob causam solam poenis subdunt, aut vindictæ exponunt, quin in tales qui sæviunt, ipsi in ea causa sunt, ut juste coerceri possint. De quo pleni sunt tractatus de veritate religionis Christianæ inscripti, veluti *Grotii, Ludovici Vivis, Mornei, Remundi, Sebundi, Petri Rami.*

§. XI. Notorium est, non tantum illos, qui delictum aliquod commiserunt, poena afficiendos, verum & illos, qui causa damni, & quorum actio ad injuriam concurrat, poenæ reos esse, neque enim heic ex alieno

*Bella propter religionem non sunt suscipienda,*

*Qui poena porro afficiendi,*



alieno delicto, sed proprio merito pœna contrahitur. Ex facto singulorum teneri potest communitas, seu Rectores ac imperantes, si horum accesserit patientia, aut receptus, quibus in crimen illorum veniunt. *Conf. Gentil. de I. B. l. 21. Pufend. VIII. 3. 28. Jac. Godofred. ad l. 10. ff. de R. I.* Hoc casu alterutrum facere debent, ut interpellati nocentem aut pro merito puniant, aut poscentibus dedant. *Gent. III. 17. p. 628. Gædd. ad l. 102. n. 1. de V. S.* nisi quod, ubi quis casu aut infortunio quodam deliquit, & ad asyla confugit, qualium exempla apud omnes fere populos extant: jus hoc asylorum à summa quidem potestate indulgeri potest, sed non alio prætextu, quam ut injuriati legitime se defendant, frustra hoc invocant nocentes, qui non favore sed odio digni. *Conf. Seld. IV. 2. Nicol. Anton. de jur. exil. l. 6. 10. Goldast. Const. T. I. p. II. 24. add. T. 3. Mager. de advoc. arm. c. 15. n. 95. extant quoque de asylor jure speciales tractat. & disput. veluti Ritterhusii, Myleri, Sarprii, Leibfridii, Osiandri.*

*Subditi ex facto Principis tenentur.*

§. XII. Subditi vero ex facto principis, quippe cujus causam voluntatemque sequuntur, tenentur, quo nomine bona quoque eorum recte capiuntur, modo tamen illud factum non sit notorie injustum. Pertinet quoque huc famosum illud represaliarum jus supra descriptum.

*Quid juris si plures in delicto concurrant.*

§. XIII. Pluribus in delicto concurrentibus, quilibet tenetur, pœna vero morte expirat, si publice debetur, tam diu satisfactio durat, quam diu ex societate ista membrum superest, illud enim jus singulis inhæret civibus, delinquentes nomine publico deli-

deliquerunt. Nec delinquentes sed territorium hic videtur obligatum, & quamvis omnes cives profugiant, & definant esse cives, pœna tamen exigi potest a successoribus & possessoribus territorii, hoc enim non potest occupari, nisi cum onere, quod ei inhæret, secus est, si ut singuli delicta perpetrarunt. *Grot. l. 2, c. 21. §. 8. Pufend. VIII. 3. 29.*

§. XIV. Pœna, quæ reparatione damni perficitur, transit ad hæredes, pœna equidem hæc ex patrimonio defuncti debetur, quod utique illos, ad quos devolvitur, afficit. *Conf. disp. Coccej. de obligat. hered. ex delict. defunct. ib. 23.* quando vero delictum personæ est, illud solum tenet delinquentem, hæredibus, quippe quorum nullum concurret delictum, haud obligatis, quod vero in crimine Majestatis ipsi etiam liberi afficiantur, illud publica necessitas utilitasque syadere videtur excusareque, liberi interea proprie non puniuntur, sed calamitate saltem tanguntur, ut adeo parentes hac filiorum miseria affecti à crimine maxime horrendo absistant, verbo, non liberi, sed parentes heic per liberòs puniuntur, alias verum omnino est, filios ob delicta parentum, multo minus cognatos ob propinquorum facinora haud puniri, filius enim, suffragante in id divino codice, parentis sui iniquitatem portare nõ debet. *Conf. l. quisquis §. C. ad l. Jul. Maj. ibique Doctores magno numero.*

*An Pœna ad successoribus devolvatur.*

CAP. XIII.

*De interitu facultatum, & fonte successionum.*

§. I.

**F**acultas omnis morte tollitur, mors sicut omnia, sic & Dominia rerum, quæ pro vivis, non mortuis introducta, solvit,

*Mors omnia solvit.*

Cc

§. II.

*Testamenta  
non sunt ex  
J. N.*

§. II. Neque testamenta, neque successio naturalis juris est, sed, facultate per mortem sublata, res in pristinum statum, sc. nullius esse incipiunt, & tum à quovis occupari possunt, atque hæc de J. N. Primævo firmissima. Testamenta enim originem & natales suos juri civili debent, ad omnem enim, quæ de J. N. valere debet, dispositionem duorum requiritur voluntas, alterius de tradendo, alterius de accipiendo, testamentum vero unius saltem dispositio est, quæ mortuo demum disponente vim capit, ac incipit, id vero naturaliter fieri nequit, nec dispositio aliqua incipere potest eo tempore, quo disponentis amplius in rerum natura non est. Clarius, hæres acquireret à testatore, vel eo vivo, vel eo mortuo, non eo vivo, cum nondum eo tempore consentit hæres, non eo mortuo, cum mortuus non disponat. *Disput. Dn. Coccej. de Jure B & P. regn. Port. §. 7. disp. nostra de Contr. summ. potest. c. II. §. 40.* Excipiendum, si hæc potestas Principi fuerit indulta, legeque adeo publica recepta. Neque etiam successio Juris Naturalis primævi est. Omne jus, omnisque hominum facultas morte tollitur, jus etenim in facultate legitima consistit, quæ non nisi hominis animati, non cadaveris est. Jura omnia viventium non mortuorum causa introducta, frustra alias usus terræ conditus esset, præterea quicquid acquirimus, vel nostro, vel alterius in nos transferentis facto acquirimus, utrumque vero hic cessat. Neque enim hic vel aliqua acceptatio aut traditio, vel occupatio intercedit, defunctus enim non tradidit, sed ab intestato bona reliquit, unde evadunt res nullius & vacantia, ceduntque occupanti.



§. III. Verum, cum hæc juris naturalis permiffi sint, ita nullus suboritur scrupulus, quare tantæ in positivis legibus circa testamenta & fucceffiones exiftant mutationes, expediebat enim valde rebus prope omnibus occupatis, ne descendentes, multi- que impuberes perirent, introduci fucceffionem, qua descendentes jus in facultates defuncti conce- ditur, in locum igitur juris occupandi res, quæ per mortem nullius evadebant, ipfo quoque Jure Nat. fecundario fuffragatur fucceffio in bona à parentibus præmortuis relicta, in folis igitur liberis jus occu- pandi fupereft, in reliquis ceflat, quia his omnibus in bona parentum fuorum jus falvum eft. Uti vero Deus homines non fimul, fed fucceffive condidit, eumque terræ modum conftituit, ut non fufficeret omnibus fi viverent, fed fucceffive viventibus, fic etiam fucceffio naturalis fit per propagationem, ut liberi fuccedant parentibus mortuis.

*Optimo hæc  
positivis le-  
gibus mu-  
tata,*

§. IV. Hæc tamen nihil derogat liberrimæ parentum difpofitioni, introducto vero testamento- rum ufu, tota ipsis fucceffio auferri nequit, fed portio aliqua ad debita alimenta neceffaria, ipsis relinquen- da venit, atque hæc origo legitimæ, quæ quoad for- mam positivis legibus introducta, inde, quatenus in legitima infunt alimenta neceffaria, legibus humanis tolli nequit. *Conf. integr. tract. Merlin. l. 7. §. 1 unde liber. l. 7. de bon. Damnat. l. 36. §. 1. & 2. C. de inoffic. test. Gail. 2. O. 122. num. 3. Mynf. O. 5. 43. Carpzov. p. 3. c. 7. d. 1. & 5.*

*Parentes  
tamen libe-  
re de rebus  
fuis difpo-  
nunt ex-  
cepta legiti-  
ma.*

*Quomodo  
facultates  
perro desin-  
nant.*

§. V. Jus præterea nostrum tollitur vel nostra, uti per contractum, vel superioris dispositione, hæc vel ob publicam utilitatem vel pœnam fit, perit quoque jus, si id, sine quo naturaliter jus subsistere nequit, tollatur, tum enim facultas ista amplius exerceri nequit, exemplum est in populis mari abreptis, item in iis, quos terræ motus hausit penitus, aut chasma, quare si quoque alter facultatem nostram jure sibi applicet, nostra facultas evanescit, sic homine extincto, formaque ejus rei, in quam jus competebat, destructa, nostrum jus corruere nemo ambigit. *Conf. Dn. Coccej. Hypom. jur. Feud. tit. 8. §. 1.*

*Quomodo  
unitas re-  
rum dissol-  
vatur.*

§. VI. Cum vero multis rebus sua adsit unitas, eæque conjunctæ sint, ita, quando conjunctione hac dissoluta facultas pereat, discuti omnino meretur. Aliæ res unitatem habent à natura, uti homo, arbor, ille ex conjunctione combinationeque animæ & corporis existit, quorum alterutro sublato desinit. homo, hujus principium, quo unitur, anima vegetativa est, succus sc., quo detracto, perit arbor. Aliæ igitur res certam unitatem habent a natura, aliæ natura distinctæ varia ratione junguntur, quæ unitæ, & quasi unæ separantur ab aliis, quod fit situ, animo, instinctu, jure, arte, natura, nova pars in unionem totius succedere potest, & tum una, eademque quæ ante fuit, res, non obstante nova, quæ accessit, particula remanet, sic pater & filius, maritus & uxor pro una persona habentur, ita in examine apum aliaque aliorum animalium grege, utut distincta hæc sint corpora, est unitas. Sic lapis ædificio im-



impositus, suam amittit qualitatem propriam & pars ædificii fit, ita navis novis licet pedetentim tabulis refecta una eademque remanet.

§. VII. Ex his præmissis liquet, imperium, collegium tam diu remanere, quoties unio ista jurisque communio durat, destrui, hac sublata. Præterea constat, unitate hac salva, manere eundem populum, quamvis, uti quotidie contingit, nullus ex iis, qui unitatem hanc constituerunt, superfit, perinde uti manet idem flumen, quamvis novæ per singula fere momenta succedât particulæ, manet, Seneca teste, unum fluminis nomen, aqua transmissa est. Corpus particulis paulatim commutatis esse non desinit, sed una tamen manet species; durante igitur in populo unitate hac, quæ ejus spiritus & anima est, durat imperium, durat consociatio ista, quæ vinculum illud est, per quod Respubl. cohæret, spiritus ille vitalis, quem tot mille trahunt, populus enim civitasque immortalis est. *Textor. c. 30. Hobbes VII. 18. Puf. II. 12.* ita porro manet Respubl. manet populus, tamen si una, saltem familia, quin unus superfit civis, id quod in J. Civili quoque cautum l. 7. §. f. quod cujusque universitatis nom. quin manet idem populus, tamen si aliam Respubl. formam inducat, atque adeo rege, si electus est, aut Regis familia extincta, jus imperandi ad populum redit, frustra dissentiente *Aristotele*, qui mutata Reipubl. forma, negat eandem civitatem esse. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 9. §. 1.*

*Quamdiu  
imperium  
durat.*

§. VIII. In corpore subalterno Reipubl. veluti collegio aliquo duplex unitas, una inter se, altera cum

*Quid juris  
in corpore  
subalterno.*

eum tota Republ., altera sublata, altera remanet. Singulis in servitutum translatis, non jus civitatis, sed modus tollitur, imperii ratione saltem heic commutata, cæteris vero juribus salvis manentibus, discessio civium, quæ ex consensu in coloniam fit, jus non tollit, manet enim jus matricis in colonos, ut suos cives, nisi pars civium ultro discedat, vel ea lege dimittantur, ut sibi habeant. Quin si certo loco migraverit populus, manet civitas, per temporariam enim istiusmodi migrationem jus populi suspenditur, non tollitur, quia forma populi adhuc durat, dum enim populus novas quærit sedes, manet animus cohabitandi & coeundi.

*Fons successio-  
 nis.*

§. IX. Morte igitur facultates perire, & sic res iterum nullius & occupantis fieri, supra dictum, at vero in locum juris occupandi, uti itidem dictum, rebus prope occupatis surrogatur natura successio. Frustra vero hæc cum *Grotio* & *Pufendorffio* ex conjectura voluntatis fingitur, sc. hunc, quem defunctus amavit, succedere, voluisse id, quod æquisimum, cum enim nec conjecturæ, nec præsumtus consensus naturale aliquod jus efficiant, sed a pertissima heic ex facto aliquo naturæ decisio requiratur, frustra ex conjectura aliqua, quæ incerta est, jus derivatur, quæ sane amoris conjectura ipsis subinde pauperibus applicari posset, ita, ut ex præsumpto aliquo pietatis signo defunctus & his bene velle censeatur. Frustra quoque alimentorum jus cum successione à *Grotio* conjungitur, alimenta ex lege educationis parentibus incumbentis fluunt, successio post mortem fit,

MOR-

mortuus pater non educat. Ex eodem fonte error iste pululat, quasi ex jure proprie non dicto liberis jus alimentorum non competat, est enim hoc verissimum illud, sine quo partus conservari non potest, quodque natura ipsi tribuit, jus, ad eundem censum quoque referenda; voluisse sc. defunctum id, quod æquissimum & honestissimum, tale esse, ut proximus successionem habeat, pro jure esse, quod pro officio competit.

§. X. Successione itaque in locum juris occupandi introducta, succedunt soli descendentes, iique legitimi, non adoptivi, non spurii, cum nulla de J. Nat. propagatio valeat, nisi quæ per justas nuptias fit, ergo nec successio, quæ ex propagatione oritur, valebit, alimenta vero parentibus deberi, virtutis, non juris est. Illis enim, uti dictum, alimenta debentur, qui educantur, parentes autem filii non educant. In liberis hæc alimenta necessaria, qui alias perituri, nihil enim secum afferunt, quod in parentibus longè secus, adde, quod Grotius urget, quod filiis diutius quam parentibus vivendum sit, unde bene *Paulus in l. 7. de bon. damn.* ratio naturalis inquit, quasi lex quædam tacita liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando, *Papinianus vero*, non sic parentibus liberorum, ut liberis parentum hereditas debetur, parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos natura simul & parentum commune votum.

§. XI. Successio ista filiis post mortem parentis debetur in omnia ejus jura, quæ mortis tempore fuerunt,

*Successione  
posita quid  
juris jam.*

*Conditio  
tribuit ju-  
ra ab even-  
tu suspensa.*

runt, etiam ab eventu suspensa; atqui hoc jus post mortem patris succedendi jam natum est in momento nativitatis, hinc in descendantibus J. N. obtinet jus repræsentationis; quamvis etiam conditio nihil ponat inesse, nihilominus tamen talis hæc est dispositio, quæ quam primum nascitur, reale jus in disponentes transfert, unde & hic est spes debitum iri.

*Succes-  
siones regno-  
rum.*

§. XII. Atque hic est fons ille successionum inter privatos, qui æqualiter succedunt, de successionebus regnorum gravior existit disputatio, non tam literis, quam armis agitata. De quo distincte procedendum, dicimus autem, in regnis nullam naturaliter successionem esse, nulla enim in dignitatem, qualis regia, successio est; uti enim natura meritum unius non transit ad alterum, sic nec actio unius personæ potest meritum efficere alterius, dignitates enim nihil aliud sunt, quam meritorum æstimationes, at vero, has extra personas naturaliter abire, & ad hæredes transitorias esse, vix probabile est. Successio naturaliter in patrimonium fit, regna autem non sunt sub patrimonio, illud ad vivendum hæc ad defendendum concessa, potestas hæc non jure hereditario transfertur, sed ex dispositione populi, à quo, cæteris paribus, Rex constituitur, resultat. Principatus sub jure occupandi non continentur, ergo nec sub jure successionis, quippe quæ in pristinam, uti diximus, occupationem transit. Res in mundo creatæ acquiri, occupari, hæredibusque relinqui possunt, non imperia, quæ non utendi, sed justitiæ tuendæ causa comparata. Tandem in principe constituendo digni-

dignitas, capacitas, prudentia, meritum personæ inspiciuntur, at hæc morte intereunt, porro summa potestas concessa est generi humano in singula membra, eoque diviso, in cives, ergo naturaliter non transit ad hæredes, sed ad corpus. *Conf. disp. Dn. de Prinzen de tutelis illustr. sect. II. §. 1. Grot. l. 2. c. 7. §. 12.*

§. XIII. At cum dispositio de successione regnorum à populi arbitrio dependeat, ejusque voluntario decreto familiæ forte cuidam concedatur, ex hoc pacto omnes primi acquirentis descendentes succedunt, non legitimati, legitimatio enim positivo, non naturali juri natales debet, quam primum enim quis ex legitimo toro nascitur, statim ei validissimum succedendi jus acquiritur, quod illi per factum patris cum concubina postea nuptias contrahentis auferri non potest, naturaque omnino impossibile, istud tempus, quod in legitimatione per subsequens matrimonium fingitur, ad primum concubitum trahi, hæc autem propter favorem matrimonii fingi, positivi juris & æquitatis esse videtur, in privatis autem bonis, cum hæc decisionem ex J. Civili capiant, recte succedunt.

*Posita ex pacto successione que succedant?*

§. XIV. Non adoptati, adoptio enim, quamvis naturam imitetur, juris tamen naturalis non est, neque enim Rex jus illud, quod sanguini cohæret, alterique per nativitatem quæsitum est, auferre potest, attamen, si consensu populi adoptio fuerit facta, aliud dicendum, tum enim adoptatus non ex actu adoptionis, sed facto populi succedit, inter privatos vero succedunt, pater enim de rebus suis recte disponit. Neque collaterales, his enim ex populi dispositione hac nihil quæsitum, nam hi sub pacto hoc, quod solos descendentes afficit, non comprehenduntur, in solum saltem patrimonium succedentes, concessio populi ordinem naturæ respicit, naturaliter autem soli saltem succedunt liberi; successio familiæ non est inter collaterales sed parentes & liberos. *Conf. l. 15. C.*

*Adoptati non succedunt.*



*de legit. hered. l. 4. C. de bon. qua lib. l. 2. C. ad Tertull. l. 7. in f. unde lib. l. 15. ff. de inoff. test. ex capta nati succedunt.*

*Qui porro  
non succe-  
dant?*

§. XV. Succedunt liberi capaces, non supplicio digni, non furiosi, quæ tamen calamitas superveniens filiis in successione non nocebit, non mente capti, impuberibus quidem jus succedendi concedi potest, eâ tamen lege, ut per tutores interim regnum administretur. Non naturales, repugnantia enim est, ex illegitima conjunctione jus dari, accedit, quod successio naturaliter sit ex propagatione, propagatio autem non nisi per justas nuptias sit, ut scilicet de juribus parentum liberorumque constare possit, supra cap. 4. inæqualis autem personarum conditio, v. gr. si princeps plebejam duxerit, liberis non præjudicat, cum hic revera adsit matrimonium, de J Nat. omnes æquales sumus.

*Feminare-  
gulariter  
non succe-  
dunt.*

§. XVI. Fœmina vero, in bona quidem privata & parentum, quoniam hoc jus omnibus commune, non in regno aut imperio succedit, cum ne quidem in privata familia imperium habeat, quæ adeo non est capax regendæ partis, multo minus totius curam cum successu tuebitur *Conf. Caton. l. 39.* Imperium est facultas tuendi, quæ vis & facultas patrocini in masculis fortior ac fœminis, hæc enim prudentiam justitiam, virtutem, & capacitatem complectitur, quanta vix in fœminis est. Nam pace & bello Rempubl. gerere ac defendere virile officium, quam in rem pulchre differit *Cato, apud Livium l. 34. c. 2. Conf. Tac. in vita Agricola.* Imperium conceditur familiæ, fœmina in aliam familiam transit, ejusque filii, tamen ex alia familia, nihilominus succederent, quod contra intentionem populi, populus enim concessit regnum soli familiæ, qua extincta reservavit sibi jus ac potestatem eligendi alium, sequeretur, quod sic etiam in statu Aristocratico succedere debeat, cui tamen experientia reclamat, nihil officiet dissentientium sententia, quod fœminæ eandem naturalem capacitatem habituræ sint, si ad tales, quales masculi, educatæ fuerint actus, id vero, cum hæcenus incertum sit,

fit, ita sententiam priorem tutiorem reputamus. *Conf. Tac. de mor. Germ. Lamprid. in vita Heliogabali.* Neque à præstantia forte unius alteriusve individui ad totum sexum argumentari fas erat. *Dn. Neukirch. disp. de success. regn. lib. 1.*

§. XVII. In regnis solus succedit primogenitus, cum unum non plures reges sibi destinaverit populus, regna enim, ducatus, principatus voce sua significant Imperium unius, nisi aliud expresse constitutum fuerit. Quod in prudentia juris publ. sat bene demonstravit *Dn. Coccejus.* Cæterum quoad ipsam quæstionem nulla adest ratio, quare secundogenitus huic præferendus, at pro primogenito ipsa natura, cum prius hunc produxit, militare videtur, verumque hic omnino est, qui prior tempore, potior jure. Quæ quæstio inter duos Darii Persarum Regis filios agitata, & pro primogenito pronunciatum est, quod suo calculo egregie comprobatur *Justin. l. 2. 10. in-quiens.* Hoc jus & ordo nascendi & natura ipsis gentibus dedit. *Dn. Coccejus disp. de J. B. & P. regn. Port. qu. 2. p. 6.* Deinceps nemo ante primogenitum filius fuit, at ipsi jus semel quæsitum auferretur, si in alium postea natum successio transfret. In ipsis sacris primogenituræ prærogativa apparuit in Isaaci filiis. *Conf. Arum. disc. acad. 20. lib. 61.*

*Soli succedunt primogeniti.*

§. XVIII. Quin primogenitus etsi ante dignitatem regiam natus secundogenitum excludit, primogenitus enim non succedit in ea, quæ pater nativitatibus, sed mortis tempore habet, & sic in privata quoque bona succedere non posset, quod tamen experientiæ repugnat, primogenitus enim hic aut incapax aut incapax est, si incapax, quare nullis succedentibus liberis succederet, si capax, quare non cæteros excluderet, in momento ergo nativitatibus primogenito jus acquiritur, cuius exercitium vero effectusque post mortem se exerit. *Dn. Textor. disp. de successione regum & Princ. §. 8. Grot. l. 2. c. 7. §. 28.*

*Primogenitus ante dignitatem reg. natus secundogen. in dign. nat. excludit.*

§. XIX. Quicumque in regnum succedit, omne jus suum cum qualitate, ordine, prærogativa & eventu ad suos liberos natura transfert. His deficientibus, alia linea ex pacto succedit,

*Quale per successionem jus in posteriores transfertur.*

dit, primogeniti juri inest conditio, 1. si pater mortuus fuerit, secundogeniti triplex, si (1.) pater (2.) frater major (3.) hujus filii masculi mortui fuerint & sic in cæteris. Filiæ quadruplex 1. si pater, 2. fratres, 3. liberi masculi. 4. Fœminæ ex his masculis natæ, mortuæ fuerint, adeoque si mortuo masculo plures saltem fœminæ aliarum linearum sint, proxima præferitur; fluunt hæc ex ordine naturæ, ut nimirum linea proxima proximam excipiat, Successione itaque in regnis introducta naturali rationi maxime convenit linealis successio, quæ in *Aurea Bulla tit. 7.* definitur. Ut adeo hic non proximitas graduum, sed linearum inspiciatur, verisimumque adeo est, jus repræsentationis in regnis quoque valere. Hoc jus enim fundatur in tempore nativitatis, quo jus succedendi filio quæsitum transfertur ad omnes ejus descendentes, etsi casus successione nondum existat.

*Quomodo  
fœmina  
succedant?*

§. XX. Fœminis ad Imperium ritè vocatis, non tamen jure naturæ aliter succedunt, nisi post omnes masculos, ex præsumpta immotaque populi voluntate, masculorum jus certum, fœminæ jus suum probent, fœmina in subsidium ad generandum non imperandum creata. *Conf. l. 2. ff. de R. J.* Fœmina ex masculo nata nunquam plus juris habet quam mater, adeoque non nisi omnibus descendentes mortuis succedet, non enim censetur mens fuisse populorum, regnum devolvi ad extraneum. Neque primi acquirentis intentio esse videtur, quod obesse voluerit proli masculinæ, quæ familiâ, nomen, insigniaque retinet, & nomen in alium transferre, cujus æternitati tamen homines naturaliter studere solent.

*Regnum  
non est he-  
reditas.*

§. XXI. Regno ut ad hæredes transeat constituto, eo ipso tamen non est hereditas sive in hereditate, sed quoad jus succedendi hereditatem imitatur, hereditas privatorum, imperium solius boni publici causa constituitur, illa jure, hoc ex dispositione populi defertur, illa ad collaterales devolvitur, hoc nõ, illa privati hoc publici juris est, certo itaq; succedendi modo hæctenus non definito, nec feudalis nec allodialis successio tenebit, quamvis ista naturæ magis convenire videatur.





§. XXII. An successor exheredari possit? varie disputari consuevit, distinguimus inter antiquum & novum regnum, in hoc, non illo exheredationem admittimus, ea enim inter Regem populumque in delato regno pactio intercedere potest, ut quem velit ex familia sibi successorem designet, accedit, quod in favorem principis noviter electi regnum acquisitum sit, de quo favore acquirens utique disponit, modo regnum non abeat extra familiam, cum etiam is pro lubitu regnum acquisivit, ergo etiam juri quaesito, & acquisitioni legem dicere valebit, exemplum sistit David, excluso primogenito, Salomoni imperium deferens, in illo jus familiae omnibusque ejus membris, quod adeo auferri nequit, quaesitum est; Quanquam nec hoc diffidendum, in regnis victoria belloque quaesitis alium praeter alio a rege eligi posse, salvis tamen heic alimentis, utrobique Principum filiis praestandis.

*An Successor exheredari possit?*

§. XXIII. Abdicari, renunciari regno posse vix dubium est, quod tamen in jure primogeniturae secus, abdicatio abdicanti non aliis legitime successuris praedjudicat; adeoque in proxime successurum transit regnum. Major scrupulus est, quis de successore regni judicet, aliis jus id regi successoris, aliis hoc iudicium populo tribuentibus. Priorem sententiam *Grot. l. 2. c. 7.* Posteriores *Justin. l. 16.* tuetur, exempla ex *Anglia* refert *Camdenus in historia Elisabethae p. 1. in pr. & p. 2. an. 1571.* ex *Gallia Thuanus hist. l. 105.* ex *Hispania Mar. l. 19. in f.* Verum constitutis arbitris, non neglecto interim populi à quo olim hoc jus profectum, consilio, ut suum super ea re consensum exprimat, quaestio haec decidi posse videtur. Nisi tamen vel Regi, vel ordini, vel populo heic jus aliquod refervatum sit. *Dn. Coccejus disp. de J. B. & P. regn. Portug. p. 27.*

*An renunciarī regno possit?*

§. XXIV. Tandem omnia jura haec, de quibus per indicem demonstrandis haecenus solliciti fuimus, morte pereunt, intereuntque. Mors ultima rerum linea, ipse homo fragilis creatura est, qui rupto corporis domicilio ad alias sedes migrare debet, anima immortalis est, perire nescia, suum a Deo praemium, si bene, paenam, si male egerit, expectatura, animae essentia in mera consistit cogitatione, quae nullum.

*Prærogativa cadaveris humani.*

fentit interitum, corpus tam nobilissimi hospitis domicilium superstes remanet, cui quamvis cadaveri prærogativa quædam præ cadavere bruti debetur. Inde de hoc jure, quod & Gentes corporibus defunctis præstare consueverunt, pauculæ restant quæstiones.

*Corpus sepeliendum est.*

§. XXV. Ne igitur corpus hominis, quod animæ hospitis illius eximii receptaculum erat, variis cæli hominumque injuriis exponatur, & in aprico quasi omnium, non sine superstitionum horrore sistatur. Inde a gentibus modus quidam inventus mortuos abscondendi, atque hunc sepulturam dicunt; Vocabulo hoc latius sumpto, ut non tantum significet, quando corpora in aquam immittuntur, vel in obscuro quodam & vix accessibili loco absconduntur, sed quando in ipsa terra reconduntur, qui mos omnium usitatus; terra reddenda terræ *Conf. Dd. ad tit. ff. de relig. & t. de cadav. puniend. Jacob. Godofred. C. Theodos. 3. p. 136. Textor. c. 15. Kirchman. de fun. Roman.* Modus hic abscondendi corpora convenit utique cum jure naturali. Recte *Grætius*, cum homo cæteris animantibus præstet, indignum visum, si ejus corpore alia animalia pascerentur. Bene *Lactantius*, non enim patiemur figuram & signum Dei feris ac volucribus in prædâ cedere.

*Quibus sepultura denegatur.*

§. XXVI. Sepeliendi jure veluti privilegio aliquo naturæ indigni sunt facinorosi, queis proinde, sive patibulo suspendantur, sive anatomie subjiciantur, nulla fit injuria. Ipsas vero anatomias eorumque usum juri naturali non repugnare vix in dubitationem vocari potest. *Conf. dissert. de jure circa cadavera punit. II §. 4. 5. 6. 7. quam Kulpis citat.*

*Monita & epilogus totius opusculi.*

§. XXVII. Verum ita quisque se gerat, ut expulsis vitiorum peccatorumque tenebris ad veram vivamque DEI voluntatem actiones suas veluti ad unicum centrum dirigat, & cogitet, se non tantum ad hæc præcepta nat. juris, quæ hætenus in foro soli tenent, sed etiam ad laudabilia virtutis exercitia explenda obstrictum esse, firmiter sibi persuadens, se carissimum Dei animal esse, cujus unica gloria in salutari Dei conjunctione & amore proximi consistit.

S. D. G.



Cum Positionum J. N. ab Illustri Coccejo  
 editarum sæpius mentionem fecimus, adeoque  
 eas cum pace Dn Autoris heic inserere lubuit.  
 Pauculæ & Generalissimæ POSITIONES  
 Pro Explicatione JURIS GENTIUM.

I. **O**mnis de jure questio eà refertur, quid licitum sit? Id enim  
 jus dicimus. Homines autem potentiis agendi à Natura  
 instructi licite agunt, quicquid possunt, donec aliquis, qui prohibere  
 rectè potest, prohibeat.

II. In qua questione duo sunt distincta: 1. Facultas illa natu-  
 ralis agendi, qua, quatenus non apparet ritè prohibita vel restricta,  
 est facultas legitima, & idem quod vulgò dicitur, Jus concessivum.  
 2. Prohibitio ejus, qui jure prohibere & terminos facultati huic po-  
 nere potest, quod vulgò dicitur, Jus præceptivum. Ex illo libertas;  
 ex hoc necessitas agendi vel non agendi seu obligatio nascitur.  
 Utrumque continetur l. 7. ff. de Legib. & c. 4. dist. 3.

III. Jus hoc prohibendi competit soli rerum Creatori, & cui  
 is concessum id voluit.

IV. Voluntas non tantum ostenditur ex verbis, sed & 1. Ex  
 motibus & instinctibus intrinsicis in homine à natura conditis. 2. Ex  
 actionibus Creatoris: ipsa scilicet rerum, qua nobis apparent, creatione  
 & conservatione; quin ipsa earum natura & circumstantiis. 3. Ex  
 actionum sine necessario vel probabili, qui est ipsa intentio ac volun-  
 tas agentis. 4. Ex mediis necessitate; quia constituto jure etiam  
 medium illud constitutum intelligitur, quod unicum & necessarium  
 est ad jus illud obtinendum. 5. Ex natura ipsius sanctissimi Creatoris,  
 qui perfectissimus est, & nihil frustra fecisse intelligitur.

V. Anatura autem concessum & constitutum est. 1. Humano  
 generi jus plenum in hanc terram ejusque res, fructus, feras & c. sin-  
 gulis vero aequale jus occupandi quod nullius est: non autem, quod  
 alterius est. 2. Cuique jus in suas actiones, earumque commoda:  
 non in alterius. 3. Jus conservandi, non perdendi, suum corpus  
 vitamque & alios. 4. Societas inter homines, & qua inde in singulos  
 derivantur jura. 5. Societas domestica, & qua pariter inde Jura ad  
 singula membra descendunt; suis quaque locis tradenda.



VI. Intra hos concessa facultatis fines si quis disponit, regula est: Prout disponit, ita Jus est. Dispositio autem est voluntatis declaratio, quid fieri vel non fieri quis velit.

VII. Sin ultra hos fines quid habet vel agit, injuria est, & tenetur vel ad id, quod habet, tribuendum ei, cujus est, vel ad injuriam reparandam. Reparatio ea fit, cum vel id, quod ablatum est, vel, si id non potest, tantundem restituitur.

VIII. Ex dispositione, qua fit inter plures de re commutanda, jus inde in rem ipsam competit, prout placuit, si de facto, in personam.

IX. Facultas ista disponendi tollitur morte, & res hoc jure iterum cedunt occupanti: nec ex hoc jure est illa testandi ratio, qua inter gentes obtinet.

X. At in locum juris occupandi, rebus propè occupatis, surrogatur naturà successio liberorum in bona à parentibus pramortuis relicta.

XI. Hac tamen nihil derogat liberrima parentum dispositioni inter vivos. At introducto testamentorum usu, iis tota successio auferri liberis nequit.

XII. Delicta & pœna materià conveniunt, & utraque in privatione jurium nostrorum consistunt; At differunt causa: In illis privatio hac fit injustè ab eo, qui privandi jus non habet: in his justè à judice, qui tale jus habet ad emendandos homines.

XIII. Ad hac jura regenda & contra invito exequenda necessaria est in terris potestas, qua non alia esse potest, quam generis humani in territoria seu partes terrarum divisi.

XIV. Jus hujus potestatis in proprium territorium ejusque membra Imperium dicitur; in extraneos, Bellum est.

XV. A jure longè differt virtutis notio. Illo alteri, quod illius est, tribuimus; hac, quod nostrum est, vel perficimus, vel in alium conferimus.

FINIS.

















Österreichische Nationalbibliothek



+Z162685502

